DAVID. RUHNKENII
LUD. CASP. VALCKENAERII
ET ALIORUM
AD
IOH. AUG. ERNESTI
EPISTOLAE.

ACCEDUNT

DAV. RUHNKENII OBSERVATIONES IN CALLIMACHUM
L. C. VALCKENAERII ADNOTATIONES IN THOMAM MAG.
ET
IOH. AUG. ERNESTI ACROASIS INEDITA.

EX AUTOGRAPHIS

EDIDIT

IOH. AUG. HENR. TITTMANN

PROF. LIPS.

LIPSIAE, APUD GERHARDUM FLEISCHERUM jun.
1 8 1 2.

VIRO CELEBERRIMO ET DOCTISSIMO

CHRISTIANO GOTTLOB HEYNE

IOH. AUGUSTUS HENR. TITTMANNUS

S. P. D.

Duas maxime causas habui, Vir Celeberrime, cur hasce reliquias, veluti e cinere servatas, meoque studio editas, Tuo nomini inscriberem. Nam quum dudum exoptassem, ut pietatem gratumque animum meum Tibi publice declarare possem, circumspicienti mihi, ad quem summorum virorum ad virum summum epistolas primum omnium mitterem, nullius nomen prius mihi in mentem venire quam Tuum potuit. Sciebam enim, Te Ioh. Augusti Ernesti, quem, dum viveret, praeceptorem et fautorem habuisses, memoriam sancte semper coluisse, et severiorem literarum illam disciplinam constanter tenuisse, cuius ille auctor exstitisset eo tempore, quo parum abesset, quin literarum humaniorum studium in Germania aut inutile ad pietatem haberetur, aut jejunae tantum librorum sacrorum interpretationi servire coge-

retur. Praevidebam igitur, non ingratum Tibi hoc munusculum fore, tamquam magnorum virorum, de Ernesti eruditione et ingenio, judicii honorificum monumentum, praesertim quum plerique eum spernere didicerint aetate nostra, multique, quem vivum adulati fuerant, mortuum lacessere consueverint, parumque absit, quin Ernesti Graecas literas ignorasse vel pueris videatur. Sed illo quidem tempore, ab iis, quos Batavi et Angli principes philologos habuerunt, ipse Ernesti inter principes habebatur, eumque omnes literarum fautores, tamquam verae eruditionis apud nos statorem, unice colebant. Et meministi Tu optime, V. C., quanta per totam Germaniam auctoritate vir ille floruerit, non munerum tunc quidem splendore, operosisve voluminibus editis comparata: rector enim scholae Thomanae, Gesneri dignissimus successor, primum inclaruit; neque praeter dissertationes et prolusiones scholasticas, quas vocant, quidquam ediderat, quum omnium oculi dudum essent in eum conversi. Scilicet intelligebant omnes, illum non tantum verae eruditionis, linguarum studio quaerendae, fontes sibi aperuisse, sed ei inesse etiam ingenium simplex et liberale, ad priscorum hominum sapientum exempla formatum, quo et ipse vete-

rum monumenta recte intelligeret, et ad ea intelligenda atque imitanda adolescentum animos unice excoleret et excitaret. Est enim vox communis omnium, qui ejus disciplina usi sunt, Ernesti institutionem non tam insignis eruditionis, qua minime carebat, in scholis ambitiosius ostensae copiis temere effusis, quam summa magnorum magistrorum arte conspicuam fuisse, qua juvenum animi, ad ingenii humani praestantissima monumenta recte intelligenda formati, vero literarum amore incenderentur, adeoque non tantum ad graecos latinosque libros explicandos edendosque, sed etiam ad quodcunque doctrinarum genus recte et liberaliter tractandum aptissimi redderentur. Nam subtiliori illa linguarum scientia, non sine multa lectione diligentique et diuturna observatione comparanda, quamquam qui philologus haberi cupit, carere nullo pacto potest, ea tamen, si illa arte destituatur, neque ad adolescentes erudiendos quidquam prodest, neque ad literas ipsas augendas excolendasque sufficit. Sed desiderat haec ars tale ingenium, quale in Hemsterhusio et Ruhnkenio fuisse compertum est, quale Ernesti nostri fuisse discipuli ejus grati omnes profitentur. Verum haec ipsa causa fuit, cur Ernesti eruditio postea non ita, ut par erat, aestumaretur. So-

lebat enim, non tantum in scholis, sed etiam in libris edendis, ea parsimonia uti, quae quum ab omni ambitione alienissima esset, parum a paupertate abesse videretur his, qui magistri eruditionem vel dictatis copiosissimis vel notarum immensa farragine metiuntur. Fuit autem Ernesti ex illorum numero, qui eorum, quae legerunt, observarunt sciuntque, minimam partem scriptis ostendunt, sed suae eruditionis fructus maturos offerre, aliisque viam modumque monstrasse satis habent, ideoque non magni habentur, quoniam, quanto labore et ingenio illa veluti singularia lumina parta sint, non nisi eruditissimi intelligunt. Imo longe eruditiores plerumque habentur, qui aut quae ipsi modo didicerint et conquisiverint statim in notas conjiciuut, aut universas eruditionis suae copias tam larga manu profundunt, ut nihil eorum, quae per totam vitam cognita et observata habuerunt, reservasse videantur. Quamobrem illud quidem non magnopere mirandum est, fuisse haud paucos, qui Ernesti editiones contemnerent, quod notas adspergere potius, ut ipse in titulo Homeri dixit, quam affundere plerumque solitus esset. Negari enim non potest, librorum veterum editiones, quas ille curavit, fere omnes illa notarum abundantia carere, quae

nihil incerti aut obscuri relinquere ipsosque lectores acrioris cogitationis labore liberare videtur. Scilicet non erat hoc viro magno in eiusmodi libris edendis consilium, ut aut aliorum scriniis expilatis, aut suis adversariis omnibus excussis, vel suam eruditionem ostentaret, vel lectoribus plane ineptis magistrisve indoctis succurreret; imo, ut in praefatione ad editionem quintam Xenophontis Memorabilium dixit, hoc maxime spectabat, ut juventus, literarum graecarum et doctrinae liberalis et elegantis amore incensa, ipsique magistri, minus a libris instructi, librorum veterum emendatiora exempla haberent, quibus sine magna offensione uti possent. Et tales quidem magistros in mente habuisse videtur, qualem ipse olim juvenis habuerat in schola Portensi, eruditos quidem et vere philologos, sed qui juvenes quoque liberalioris doctrinae amore imbuere atque ad veram antiquitatis scientiam erudire possent; non autem ejusmodi magistris prodesse voluit, qui quum ipsi literas graecas latinasque leviter tantum attigerint, antequam ad munus sacrum admoventur, pueris libros graecos et latinos explicare instituunt, ideoque editiones notarum farragine superfluentes mirifice amare consueverunt. Quorum hominum inertia, institutionis

privatae veluti domesticum malum, quum certe a publicis scholis arceri possit, non vituperari, sed laudari Ernesti consilium debebat, quod in libris edendis illa parsimonia uteretur, quae ignavis et indoctis magistris ingrata accideret. Neque verebatur, ne a viris doctis, notulas ejus legentibus, minus ipse doctus haberetur. Sciebant omnes enim, eum, si voluisset, plura dare potuisse, quod de eo summorum philologorum, Valckenaerii et Ruhnkenii, judicium fuisse, ex his ipsis epistolis constat. Quamquam fuerunt etiam, qui, nihil amplius eum dare potuisse, aut ipsi crederent, aut certe aliis persuadere cuperent, ideoque virum magnum aut subtiliori literarum graecarum scientia, aut observationum, multa lectione conquisitarum, parata copia destitutum fuisse dicerent. Sed horum quidem opinione minuenda tanto magis supersedemus, quo facilius omnes homines vere eruditos concessuros esse arbitramur, subtilitatem scientiae cujuscunque non in eo constare, quod omnia aliquis aut memoria teneat, aut in adversariis servata, quavis occasione effundere possit, sed quod rerum, quas sciat, causas finesque accurate cognitos habeat; neque spernendum hominem doctum aut pro indocto habendum esse, qui literarum incrementis, post quinquaginta

annos allatis, uti tunc quidem non potuerit. Quo magis accusanda est eorum temeritas, qui subtilioris scientiae defectum, quem in summo viro illo deprehendisse sibi videntur, munere theologico, quod summa cum laude gessit, ipsoque theologiae studio, cui maxima incrementa attulit, satis scilicet humaniter excusare solent. Nam quod ipsum studium theologiae ad veram philologiam obesse existimant, quasi theologus, systemati suo intentus, eam ingenii libertatem amittat, quae homini critico unice sit necessaria, ea quidem tam stulta opinio est, ut nullo refutatione opus habeat. Et potest ipsius Ernesti exemplo refutari, qui si non omnia vincula abjecit, quorum impatientissima est aetas nostra, certe non illiberali studio impeditus est, quo minus in rebus omnibus critici munere strenue fungeretur, id est verum a falso certa ratione sejungere doceret. Sed viro magno, gravissimis muneribus ornato, hominumque, qui eum aut praesentes consulerent, aut ab absente de rebus scholasticis et sacris consilia peterent, salutationibus literisque occupatissimo otium, solis literis graecis et latinis dicandum, defuisse, neque mirabitur quisquam, neque vitio ei vertet, quod, quum literarum studiis in patria instaurandis et incendendis, quantum posset, prod-

esse cuperet, subtiliores disquisitiones, a quibus ipse minime abhorreret, cum viris doctis communicandas, iis, quibus otium esset, reliquerit. Quodsi multa ignorasse illum putant, quorum vel inventione, vel accuratiori cognitione nunc haud pauci gloriantur, fruantur illi quidem suis bonis eaque aliis larga manu impertiant, modo ne illum contemnant, cujus et tempus et consilium ab illis rebus alienum fuit. Et velim omnes Tuam, V. C., moderationem imitatos esse, qua Tu usus es in judicio de Homeri editione ferendo, de qua tam iniquos judices Ernesti habuit, ut etiam pueris vix Hagerianae praestare videretur. Scilicet quum et notas adspersisset tantum, neque varias Codicis Lipsiensis Lectiones omnes notasset, nihil eorum fecisse videbatur, quibus nova editio commendari posset, quamquam a perfecta Homericorum carminum editione paranda, cujus Tu perfectam imaginem ipse descripsisti, animus, vita et consilium ejus abhorrebant. Sed alia est accusatio, quam contra illum proferre solent, eaque tanto speciosior, quo quisque ex grege philologorum ad invidiam ipse pronior est. Dicunt nimirum, virum illum aliorum doctissimorum hominum copiis, quibus ipse careret, uti potuisse, sed eas aut ultro oblatas repudiasse, aut in-

scriniis suis retentas aliis invidisse, aut etiam petere ab aliis noluisse, ne ipsius paupertas illorum hominum divitiis obscuraretur. Quae accusatio a nemine atrocius, quam a Wyttenbachio, prolata est in vita Ruhnkenii, cuius summa familiaritate usus esse videtur. Scripsit enim [pag. 155 sq.], ad Xenophontis Memorabilium editionem quintam Ernesto ab Ruhnkenio varias codicum scriptorum lectiones, ipsiusque animadversiones missas esse, eundemque Valckenaerio persuasisse, ut et ipse suas annotationes adjungeret. Sed quoniam Valckenaerius, dum Xenophontis locos attingeret, simul Ernestium candide et simpliciter reprehendisset, eaque censura huic minus grata accidisset, parum abfuisse, quin totam Valckenaerii operam ab instituta editione excluderet; Ruhnkenii tamen arbitrio factum esse, ut partis, qua ipse corrigeretur, rationem haberet, quantam ipse vellet, omissa Valckenaerii mentione; at sub hujus nomine adderet reliquas annotationes, quae ad ipsum Xenophontem referrentur; atque ab illo tempore Valckenaerium inter et Ernestium, quamquam nec antea fuisset amoris ardor, magis etiam frigus et suspicionem fuisse. Sed huic narrationi quanta fides habenda sit, alia accusatio ostendet, quam de Callimacho adversus Ernestium

protulit. In hac enim editione paranda et adornanda ita fere Ernestium cum Ruhnkenio et Valckenaerio egisse scripsit [p. 79 sq.], ut soleat superbus discipulus cum doctiori magistro, non autem amicus cum amico, vir doctus cum viro docto agere. Nam non solum Ruhnkenii aliorumque facultatem, quam sibi deesse sentiret, argutando elevare illum studuisse in praefatione ad Callimachum, sed ipsius Ernesti notulas, Ruhnkenio et Hemsterhusio monentibus, locupletatas quidem, sed ad illorum virorum rationem ingenio et doctrinae ubertate nihil fuisse, neque a Valckenaerio quid adjumenti, non quod hic nollet dare, sed quod ille nollet rogare, intelligens, suas copiolas in tantis auxiliis obrutum iri. Sed quanta injuria Wyttenbachius haec ad Ernesti nomen post mortem ejus minuendum narraverit, facile cognosci potest, et Ruhnkenii et Valckenaerii epistolae de hoc toto negotio luculentissime ostendent. Primum enim verba illa in praefatione ad Callimachum non nisi callidissimus obtrectator isto sensu dicta putare potest, quum nihil magis a vero, imo ab recta ratione abhorreat, quam Ernestium eo ipso loco, quo Ruhnkenii de fragmentis Callimacheis merita celebraret, facultatem illam, qua merita illa maxime constarent, elevare voluisse.

Neque parva illa vocavit, ut Wyttenbachius calumniatus est, sine quibus maxima neminem consequi posse, ipse Ernesti probe intellexit, et in elegantissima oratione de doctrinae accuratae et promptae laudibus luculenter demonstravit; imo excusare se tantum vel ingenio, vel tempore suo voluit, quod a veterum et rariorum verborum foetoribus eruendis et tractandis abhorreret. Ac nescio sane, an vituperandus sit, qui hac in re aliorum studiis uti malit, ipse vero, gravissimis muneribus occupatus, libris veterum scriptorum integris legendis et suum et aliorum ingenium ad copiam rerum et verborum alere, et ad elegantiam cogitandi ac dicendi acuere et polire consueverit. Sed notas, quibus Ernesti Callimachum ornavit, Ruhnkenio et Hemsterhusio ne tunc quidem probatas fuisse, postquam eas illorum virorum auctoritate locupletasset, quam verum sit, ipsae Ruhnkenii epistolae demonstrant, ex quibus omnia, quae de Callimacho inter illos Triumviros gesta sunt, cognosci possunt. Sunt enim notae illae, si ubertatem veluti prono alveo sese profundentem spectes, dissimiles quidem his, quas in Elegiarum Callimachi Fragmenta ipse Valckenaerius conscripsit, sed honorificentius tamen Ruhnkenium et Hemsterhusium de iis judicasse, ex il-

lius Epistolis [Ep. XII.] lubenter cognoscent, qui hominem Germanum ab Ruhnkenio magni habitum fuisse, sine invidia ferre possunt. Gravior autem Ernesti de Callimacho restat accusatió, quae si probari posset, parum abesset, quin puerilis invidiae et superbiae reus ille vir magnus videretur. Scilicet potuisset a Valckenaerio adjumentum referre, sed nihil retulit, non quod hic nollet dare, sed quod Ernesti nollet rogare: nolebat autem, quoniam intelligebat, suas copiolas in tantis auxiliis obrutum iri. Sed quum Valckenaerii epistolas legerint ingenui homines, statim et Ernesti nomen ab illa turpi suspicione liberabunt, et illius viri audaciam mirabuntur, qui quum ex Ruhnkenio meliora scire posset, quae falsissima sunt, in hominis integerrimi opprobrium projecit. Fatetur enim Valckenaerius, se ab illo rogatum, negat, se multa daturum. Quid faceret Ernesti? an hominem doctissimum, quem plura dare posse, sed nolle dare, ex ipso Ruhnkenio compertum haberet, precibus importunis compelleret? an Callimachi editionem, quam ipse Ruhnkenius urgebat, differret, donec aliquid amplius ab illo accepisset? Fecit tamen quod potuit: non semel Valckenaerium rogavit; sed unum tantum responsum tulit, praestantissimis

in Callimachea refertum observationibus, quibus quum lubentissime, ut debebat, usus fuerit, quis dubitet eum centenas alias desiderasse, et, si missae fuissent, in Callimachi editionem inserturum fuisse? Num igitur noluit rogare? Rogavit vero; sed nihil amplius accepit tunc quidem; ne spes quidem a Valckenaerio facta. Quis igitur hoc ei exprobraverit, quod non institerit precando, donec plura ex illo extorsisset; praesertim si vere Wyttenbachius scripsit, inter utrumque nullum amoris ardorem fuisse. Quin potius Valckenaerio hoc exprobrari possit, quod a viro, Ruhnkenii amantissimo, et per ipsum Ruhnkenium rogatus, auxilia sua paratissima non statim miserit, sed singulis precibus a se peti voluerit. Certe si utramque Valckenaerii epistolam comparamus, vix intelligi potest, quo modo excusemus ea, quae a Valckenaerio scripta leguntur in observationibus ad Callimachi Elegiarum fragmenta a Luzacio editis p. 210. „Callimachea quum sub auspiciis Ernesti renovarentur, *hic meas secum ut conjecturas communicarem rogavit*: unas ad ipsum dedi literas, quibus priora tantum carminum fragmina sumseram tractanda, hujus generis centena daturus, si fuissent desiderata: sed ad istam epistolam responsum demum accepi, nec sane mirabar, quum Callimacheis jam re-

centatis donaret.“ Ergo rogavit Ernesti; sed missa sunt tantum paucissima; exspectavit Valckenaerius, ut ille denuo rogaret et tertium, et deinceps, donec singula centena extorsisset. Non fecit Ernesti; qui enim faceret, quum humanissime roganti prima statim epistola fuisset negatum? Habent nunc in manibus epistolam illam aequi judices; videant, uter superbius egerit, Valckenaerius, qui non nisi saepius rogatus bona sua impertire Ruhnkenii amico voluerit, an Ernesti, qui, ne saepius rogando instaret, ipsa, quam in eo maximam fuisse scimus, verecundia impeditus potest videri. Dabimus, utrumque humani quid passum esse, Ernestium, quod, repulsa offensus, denuo rogare noluerit, Valckenaerium autem, quod rogatus primum negaverit, effeceritque, ut ille dare hunc nolle crederet, quod vel ex amico communi sciret, plurima dare eum posse; concedemus quoque, succensuisse Ernestio Valckenaerium, non quod ille hujus divitiis uti noluisset, sed quod non statim secundis literis datis denuo rogasset; sed quamquam et hoc concedamus, Ernestium literarum causa non prius desistere rogando debuisse, quam centena illa accepisset, et accepturum quoque fuisse ab homine difficiliori; tamen negare nemo poterit, eandem ob causam, id est,

literarum causa, Valckenaerium roganti primum omnia quae prompta haberet, deinde ultro non denuo roganti mittere debuisse, quod Ruhnkenium humanissimum fecisse non posset ignorare. Hoc autem omnes intelligent, quam vere scripserit Wyttenbachius, Callimacho nihil a Valckenaerio adjumenti accessisse, quod Ernesti noluisset rogare. Et quum, rogasse eum, nunc constet, non opus est, ut turpissimam, quam ille excogitavit, causam, cur Ernesti noluerit rogare, refutemus; arbitramur potius, omnes, tum Germanos, tum Batavos, intellecturos, adversus hominem mortuum, quem amaret et coleret Ruhnkenius, nihil iniquius ab eo dici potuisse, qui vivum amplissima reverentiae significatione adulatus esset. Sed quis nunc credat, de Valckenaerii ad Xenophontem observationibus vere omnia Wyttenbachium narrasse? cui non incidat gravis suspicio, magnam certe illius narrationis partem Ernestini nominis deprimendi studio adornatam esse? Num enim credibile est, hominem ingenuum, quem candidissima anima, Ruhnkenius, amaret, tam pusillum et illiberalem animum habuisse, ut primum totam Valckenaerii operam ab illa editione excludere, quam candidam et simplicem reprehensionem ferre maluerit, deinde cum ille de

**

censura minus grata dissimulanda veluti pactus fuerit? Quin homo superbus, qui reprehensionem quantumvis simplicem aegre ferret, nunquam hoc a se impetrare potuisset. Quid vero? num credi potest, Valckenarium, a quo, dum res integra esset, impetrare Ruhnkenius non poterat, ut Ernestio suas in Callimachum observationes roganti mitteret, nunc jam, quod Ernesti non rogasset ardentius, offensum, hoc concessurum fuisse, ut cum suis ad Xenophontem observationibus pro arbitrio ille ageret? Sed faciamus, id concessisse Valckenaerium: num inde sequitur, illum, nisi id Valckenaerius concessisset, totam ejus operam abjecturum fuisse? Non credamus, nisi id ex epistolis ad Ruhnkenium Wyttenbachius demonstraverit. Ego quidem nullas Ruhnkenii literas, illo tempore scriptas, reperire potui, sed facile auguror, si Ernesti epistolae detegantur, in iis nihil aliud fortasse repertum iri, quam amici ad amicum querelam de acerbiori censura; constat enim, Valckenaerium in aliorum erroribus castigandis simplicitate quidem, sed non semper humanis verbis usum esse. Quodsi Ruhnkenius, postquam acerbam Valckenaerii censuram amico accidisse intellexisset, ultro egerit cum Valckenaerio, utriusque humanitas quidem lau-

danda, non autem Ernesti ignavia accusanda est, quasi totam Valckenaerii operam ab editione sua excludere potius, quam observationes, in quibus ipse candide et simpliciter reprehenderetur, integras adjicere voluisset. Praeterea Valckenaerius observationes suas ad editionem quartam scripserat, in qua si plurima ei reprehendenda visa fuissent, tanto minus id Ernestium aegre laturum fuisse existimamus, quum in praefatione ad editionem quintam ipse concesserit, priores editiones ad virorum doctorum judicium et usum minus paratas fuisse. Omnino mihi quidem, nescio an ob Theologiae studium, quod cum literis humanioribus non nisi infausto successu conjungi posse Wyttenbachius existimat, ab omni humanitate alienum videtur, hominis mortui, quem vivum adulatus fueris, famam incertis sermonum familiarium narrationibus minuere, et amicorum suorum gloriam illorum virorum, quos hi ipsi, dum vixerent, inter principes habuissent, iniquissimis criminationibus augere. In qua quidem turpi obtrectatione nescio an plus superbiae et simulationis quam invidiae insit; hoc autem scio, Wyttenbachium hac narratione, sive vera, sive falsa fuerit, pessimam apud Ruhnkenium gratiam initurum esse, si is, homo integerri-

mus et amicorum suorum studiosissimus, rescire possit, quam inique ille amici nomen carissimum stringere, quin exscindere studeat.

Sed salva res est. Non potest enim diutius dissimulari invidia illa, qua crescentem Germanorum philologorum gloriam Batavi persequuntur. Nam quum in omni scientiae et eruditionis genere ita excellat nunc gens Germanica, ut, si eas artes, quibus vitae humanae divitiae et voluptates augentur, excipias, nulla verae doctrinae laude inferior reperiatur, sed antiquam nominis gloriam, quamvis temporum injuria crudeliter vexata, felicissime tueri, et posteris felicioribus traditura videatur, tum in iis potissimum literis et artibus, quae, quod humanitatem maxime exercent, genusque humanum nunquam summi honoris sui oblivisci patiuntur, omnium consensu humaniores vocantur, excolendis augendisque tantum reliquas gentes superat, ut, qui sapiunt, non habeant, quod iis invideant superbissimos triumphos. Nihil dicam de philosophia, humanae rationis vitaeque certissimo praesidio, in qua, licet successu vario, tanto tamen et tam praeclaro studio Germani laborarunt, ut unam gentem illam, quae cum ipsis subtilitate et gravitate judicii contendere

possit, dudum superaverint; nihil de historia, virtutum scelerumque incorrupta et severa judice, cujus gravi et strenuo studio populares ita inclaruerunt, ut rerum omnium memoriam, non ad pervertendum adulatione judicium neque ad animos curiosis quaestionibus nutriendos, sed ad veras rerum causas cognoscendas, mentemque humanam aeternae legis, qua omnia reguntur, sapientia imbuendam omnium optime coluisse videantur. Sed philologiae, quae proprie ita dicitur, quoniam ingenii humani monumentorum, quae oratione prodita sunt, accurato et eleganti studio constat, (est enim haec vera philologia, quippe quae proprio rationis humanae munere, orationis divino beneficio, custodiendo, ornando augendoque cernatur,) philologiae inquam laude Germani nunc ita antecellunt omnibus, ut etiam adversarii aut exteri (quod nuper quendam publice fecisse, compertum habemus) confiteantur, in una Germaniae provincia plures veros philologos quam in maximo Europae regno reperiri. Quod vere a me dici, etiamsi Wyttenbachius nunquam sibi persuaserit, tamen omnes intelligunt et lubenter concedent, qui literarum incrementa, non genti cuidam propria, sed toti generi humano communia, undecunque proveniant, grati agnoscere solent.

Olim in Batavis veluti sedes Philologiae fuit, et Hemsterhusii, Valckenaerii, Ruhnkenii et aliorum gloria etiam proletarii quique illius gentis literatores fruebantur; ut Graecum nomen quisque olim apud omnes gentes superbius jactabat. Germanorum tunc quidem, nisi ignobiliora, certe minus splendida in illo literarum genere studia fuerunt; Gesnero et Ernestio vix par quisquam in Germania, plurimi paupertate oppressi, multi negotiorum ab literis alienorum cura distenti, haud pauci meliorem conditionem extra patriam, ut ipse Ruhnkenius, quaesiverunt. Accidit eo tempore divino beneficio, ut duumviri illi in duabus literarum sedibus collocati, in diversis Germaniae partibus philologiae studium inter nos instaurarent. Nam Gesnerus ille quidem in Universitate Georgia Augusta, quam Tu, V. C., nunc cum maxime ornas, philologiae princeps exstitit, apud nos ex Ernesti schola numerosa proles exiit hominum, qui verae philologiae laudem in Germania propagarunt et auxerunt. Atque ab eo tempore verum istud humanitatis studium fructus uberrimos in patria nostra protulit, gentemque avitae virtutis nonnunquam immemorem novo gloriae et honoris genere, eoque, si recte auguror, non tam facile perituro, beavit. Interea apud Ba-

tavos clarissima quaeque lumina interierunt; apud reliquas gentes ad eas potissimum artes, quibus opes et honores parantur, conversi sunt animi; ipsi Britanni paucissimos Bentleii similes habent. Sed haec rerum conversio magnam nobis invidiam conflavit, apud Batavos potissimum, qui nondum assuefacti videntur, ut palmam illam, quasi hereditariam, in aliorum manibus videant. Itaque nihil studiosius hi quidem agere solent, quam ut aut nostros homines, cum illis principibus eruditionis dudum mortuis comparantes, sibi gloriolam quaerant ex communi patria, aut scholam philologicam in Germania, nescio quam, cum Hemsterhusii, Valckenaerii et Ruhnkenii schola conferant iniquius, cujus ipsi soli ex asse heredes haberi velint. Hinc illae querelae, scholae Hemsterhusianae disciplinam Etymologicam interitui jam vicinam esse, quum nemo unus repertus sit, qui illam in formam artis redegerit, neque sperare liceat, ante Hemsterhusianorum, qui pauci supersint, fata repertum iri *). Et parum abest, quin ob hunc disciplinae Etymologicae,

*) Sunt haec verba *Lusacii* in *Praef. ad Callimachi Elegiarum fragm. a Valckenaerio illustrata*, p. 32. conf. p. 24.

apud Batavos scilicet solos servatae, contemtum scholam philologorum Germanorum accusent, eoque nomine *Scholam Ernestinam Lipsiensem* potissimum, quam dicunt, insimulent. Sed ante omnia, quae etymologicae istius disciplinae, quam *Schola Batava* sequatur, ratio sit, dicere et declarare eos oportet. Nihil enim praeter verborum sonos audio, et Hemsterhusii honorificam commemorationem, qui illius disciplinae auctor fuerit, et Valckenaerii, qui bene inchoatum opus deseruerit, aliorumque, quorum errores a nostris vitio vertantur Batavis. Nam quae Luzacius ea de re disputavit *), ea neque ad veram illius disciplinae rationem intelligendam, neque ad vitia, ab Etymologistis commissa, demonstranda sufficiunt. Germani autem philologi, etiamsi non temerarii fuerunt illius Etymologici studii sectatores, plus tamen, quam Batavi, ad linguam graecam ad artis leges revocandam contulerunt, in quo ipse Hemsterhusius summam illius studii cerni, omnium optime intellexit. Nam quae is de Etymologia et de Analogia linguae graecae disputavit, ea clare demonstrant, quam longe ab eorum vanitate abfuerit, qui, quum verborum formas ad sim-

*) Loco citato p. 34. sqq.

pliciores sonos revocaverint, magni Philologi sibi videntur. Et verissime credimus, Hemsterhusii menti illius linguarum scientiae imaginem obversatam esse, quae rationis, quae ipsa est inventrix linguarum, aeterna lege nitatur, et innumerabilem verborum et loquendi formarum copiam, diuturna lectione et accurata observatione conquisitam, ad illam veluti normam et regulam examinet dirigatque, in eaque rationem non unius tantum linguae, sed communium loquendi, i. e. sentiendi et cogitandi, legum divinitus a natura insitarum rationem habeat. Haec autem scientia linguarum, quantumvis ab Hemsterhusio aucta, tantum tamen abest, ut a Batavis consummata fuerit, ut, quod Luzacius ille desiderabat, ut in artis formam redigeretur, id soli Germani praestituri nunc videantur. Nam Batavi quidem, dum integer esset apud eos honos philologiae, in ea potissimum linguarum studii parte inclaruerunt, quae verborum mutua ratione et formis variis, librisque vetustis artis criticae ope purgandis constat maxime, ideoque grammatica solet, neque inepte, appellari. Et fuit olim communis plerorumque ea opinio, ut rebus istis solis totum philologi munus contineri existimarent, erantque multi haud dissimiles operarum, qui ad extruendam domum

ligna, lapides, caementum coëmunt et parant, sed ipsius aedificii exstruendi rationem prorsus ignorant. Ita autem philologiae pars, quae ipsius rationis legibus constat, et humani ingenii monumenta non ad verborum copiam colligendam, sed ad augendas ipsius aeternae mentis divitias diligenter considerat, adeoque illam disciplinam Batavorum etymologicam in artis formam et ordinem redigit, nescio an in nulla gente magis, quam a Germanis culta dici possit. Fuit ipse ille Ernesti non ita magnus illarum artium etymologicarum admirator, quippe qui bene intelligeret, linguarum scientiam longe aliis fundamentis superstruendam esse, quam formis verborum, quorum significationem mirum est quantum usus et consuetudo mutare et pervertere soleat. Nostrates vero, quum in omni eruditionis genere a temerariae exterorum imitationis notissimo crimine fere unice sese liberos praestent, tum in etymologico studio, quo Batavi superbiunt, tantam sapientiam adhibuerunt, ut et a vitiis Etymologistarum sese abstinuerint, et in vera linguarum scientia, quam philosophicam recte dixeris, maximos progressus fecerint. Sed tamen grammaticum illud linguarum studium, quod ipse Ernesti maximi faciebat, a nostratibus non negligi aut dimitti,

Criticorum, quos Germania nunc quum maxime habet, clarissima nomina ostendunt. Quae singula enumerare et ipsorum modestia vetat, neque opus est; sunt enim in ore omnium. Sed ostendant nobis Batavi philologos, a quibus populares nostri superentur, non veteres illos, quorum veluti hereditaria gloria superbiunt, sed recentiores, qui verae philologiae laudem nostris praeripiant. Sin minus, certe demonstrent, qua ex parte linguarum disciplina per scholam Ernestinam corrupta fuerit. Quin concedant omnes necesse est, inde ab Ernesti temporibus philologiae studium in Germania egregie ad hunc usque diem viguisse.

Neque vero verendum est, ne haec praestantissima studia, quae humanitatem unice alunt, et a barbarie, reditum quavis arte quaerente, genus humanum fortissime defendunt, in patria nostra unquam omittantur et obsolescant. Modo hoc cavendum est, ne in scholis remittantur et ut recte colantur in Universitatibus literarum. Qua de re velim ego deprecari apud omnes, qui praesunt rebus publicis, velim eos obtestari, ne, solam corporis fortitudinem in civibus quaerentes, illa exstingui studia patiantur, quibus ad summa quaeque peragenda et perfe-

renda formatur, alitur et roboratur animus humanus. Nolo apud Te, V. C., in laudes philologiae excurrere, qui per totam vitam Tuam innumerabilibus de vera eruditione meritis demonstrasti, studiis illis quascunque rerum humanarum conversiones et vicissitudines vel perferri fortiter vel feliciter superari. Sed dabis mihi hanc veniam, ut coram Te, gravissimo judice, cum iis expostulem, qui nullam aliam illorum studiorum rationem habere in scholastica institutione solent, quam ut pueri discant interpretari libros sacros, intelligere leges Romanas, legere veterum libros medicorum. Hi enim nihil amplius desiderant, quam ut habeant bonos operarios, laboris patientes, cives, quibus munera, inferiora scilicet, mandari possint, non autem homines ad summa quaevis munera ornanda aptos et formatos. Scilicet umbraticos illos literatores ad scholas demandant, rempublicam avita imaginum gloria ipsi tuentur; nutriunt literas eorum more, qui beluas edentatas alunt, ut e stupidae plebis curiositate lucrum quaerant; denique hoc tantum agunt, ut magnae liberalitatis erga literas ostentatione verae eruditionis et ignorantiam et contemtum misere dissimulent. Itaque in scholis et gymnasiis quibusdam linguarum veterum studia, ad juven-

tutem formandam et excolendam unice apta, videmus aut cum rerum quarumcunque jejuna institutione commisceri, aut ita coli, quasi plurimorum auctorum et voluminum vaga lectione veram eruditionem vel pueri sibi comparare possint. In literarum Universitatibus autem ii tantum a multis magni magistri habentur, qui rerum diversissimarum farraginem in librorum veterum interpretatione profundunt, et auditoribus, quis de quaque re, non quid quisque scripserit, denarrere sciunt; sed, qui linguae ipsius leges et modos recte intelligere docent, eorum subtilitas, quum a paucioribus perspiciatur, in minori etiam pretio haberi solet. Nam nisi ad digitos possit numerari, studia virorum doctorum quid praestent singulis, inutilia esse videntur. Itaque veterum linguarum studium iis tantum relinquitur, qui medici, caussidici aut ecclesiae ministri fieri aliquando volunt; his enim quid prosit latinum vel graecum librum legere posse, vel plebs intelligit. Sed quoniam pauci tantum sciunt, quae sit propria linguarum studii vis et virtus, reliqui omnes, ad splendidiorem videlicet vitam destinati, veterum linguarum scientia carere posse putantur, eaque ita imbuuntur, ut virorum doctorum speciem apud imperitos prae se ferre possint, ideoque, ne tempus in scholis

perdant; scilicet, realia iis impertiuntur, (licet enim in re barbara barbaro nomine uti) quo tanto facilius cursum academicum emetiri possint. Ergo etiam historiam, mathesin, philosophiam in Academia aut prorsus negligunt, aut leviter tantum attingunt, quoniam in scholis ea omnia jam degustarunt, imo didicisse sibi videntur. Alterum est, neque id minus, quod dixi, malum, in scholis et gymnasiis linguarum studium vaga et inconstanti plurimorum auctorum lectione occupari. Vidi ipse lectionum, quae in schola quadam non ignobili habebantur, descriptionem. Quaterni cum iisdem discipulis Latini, totidemque Graeci auctores per singulas hebdomadas tractabantur; singulae aut binae singulis horae destinatae, totidem styli, quae vocantur, exercitationibus constitutae; quod reliquum erat tempus, realia illa absumebant. Et multi magistri maximam scholae suae laudem in eo quaerunt, quod plurimi scriptores veteres, Graeci et Latini, Poëtae, Historici, cum discipulis tractentur, i. e. singulorum fragmenta legantur cum adolescentibus, vix grammatica elementa recte edoctis, nedum linguarum vetustarum leges et causas tenentibus; unde fit, ut multi ex illis scholis prodeant, qui barbaro scribendi genere, aut ex quacumque formularum

farragine mixto perversae institutionis damna non sine magno probro suo declarent. Scilicet hoc ignorant plurimi, qua potissimum de causa vetustarum linguarum studium in scholis urgendum sit, ideoque non mirandum est, rudes literarum juvenes e scholis dimitti, etiamsi versus graecos fecerint, et graeca etiam specimina ediderint; praesertim quum in publicarum lectionum multitudine parum aut nihil iis otii ad privata studia relinquatur, aut haec studia ab ejusmodi hominibus regantur, qui philologiam, ut Candidati ministerii, leviter tantum attigerunt, et aliquot annorum improbum laborem Rectorisque superbum imperium certa muneris sacri spe indigne perferunt. Itaque in Academiis quoque severiorem magistri disciplinam pauci patiuntur, et grammaticae artis studium, sublimius illud quidem, quam plerique suspicantur, ita negligitur, ut ad veteres scriptores edendos et (ut dicunt) castigandos aut recensendos multi post triennium se accingant, licet, quid sit callere linguam, prorsus ignorent. Quorum nescio, an minus temeritas accusanda sit, quam, qua a pueris imbuti fuerunt, institutionis perversa ratio. Sed haec vitia tempus ipsum corriget; ita enim in Germania vigent studia illa, ut quidquid con-

tra aut ignorantia committat, aut moliatur superbia, nunquam extingui posse videantur.

Accipe igitur, V. C., benevole hoc munusculum, meae quoque reverentiae et pietatis documentum; cui quod Acroasin Ernesti nondum editam, et Valckenaerii Annotationes in Thomae Mag. Eclogas, ex libro, quo ille usus fuit, descriptas, addidi, neque Tibi ingratum fore spero, et lubenter excusabunt aequi Lectores. Descripta sunt autem omnia ex Autographis summa cum religione, quod ex diverso scribendi modo intelligetur; nam rationem cuique propriam retinendam putavi: ipsa autographa in posterum in Bibliotheca Paulina servabuntur.

Quod restat, nihil magis in votis habeo, quam ut honos verae eruditionis, de qua Tu per decem lustra egregie meruisti, et philologiae potissimum, quam Tu mirifice auxisti, studium semper in communi patria nostra recte conservetur, et apud exteros quoque indies magis augeatur et felicius propagetur. Tibi vero senectutem sempiternae gloriae cursu illustrem ut longissimam conservet deus, ex animo opto. Vale, Vir Celeberrime, et mihi in posterum quoque fave.

Scr. d. XXIII. April. a. Dom. cIↄIↄcccxII in Univ. Lipsiensi.

EPIST. I.

EXCELLENTIS INGENII ET DOCTRINAE VIRO

IO. AUG. ERNESTI

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Antequam de aliis rebus ad Te scribo accuratius, maximas Tibi gratias ago pro pulcherrimis, quibus me donasti, munusculis. Prolusionem de Diff. N. T. interpret. communicavi cum VV. CC. Hemsterhusio et Alberto, quorum utrique mirifice placuit. Suetonius Tuus ita probatur omnium judicio, ut negent aliquid a multis annis in Latinum auctorem scriptum esse, quod tam limatum, tamque omnibus numeris absolutum sit. Inprimis Oudendorpius noster, qui nuper Suetonium cum suis et Dukeri animadversionibus prelo subjecit, studium, quod in eodem auctore posuisti, laudat. Is multa quoque male affecta feliciter sanavit, interdum, ut fit, eadem, quae Tu. Sic praeclaram emendationem, qua vocem *Munera* restituis, jam ante biennium mecum communicarat. De Callimacho sic habeto. Lennepius, Iuvenis valde doctus et ingeniosus, is, qui nuper Coluthum edidit, instituerat novam Callimachi editionem adornare. Hac mente contulit Codicem Vossianum, non optimum illum quidem, sed tamen viginti ad minimum locis Callim. profuturum; neque neglexit ineditas doctissimorum hominum notas, quae Bibliotheca Leidensi continentur. Sed intellecta voluntate Tua, visoque Specimine, ad alium Auctorem edendum animum adjecit. Tanta

tamen est Lennepii humanitas, ut et Codicis Collationem, et quicquid in hunc poëtam congessit, usibus Tuis sit concessurus. Cl. D'Orvillium de Callimachi Codd. omnino, velim, compelles. Ipse, ut Tibi ingenue fatear, hoc mihi negotii dedit, ut Te de istis Codd. certiorem facerem, addens, se, dummodo voluntatem Tuam intellexisset, nihil denegaturum. Facile enim intelligit V. Cl. nisi Tu his variis Lectionibus utaris, eas fortasse nunquam nec sibi nec Callimacho ornamento futuras. Liceat nunc mihi, Vir Praestantissime, conjecturarum mearum in Callimachum ad Te specimen mittere. Nam ex quo divinus vir Ti. Hemsterhusius hujus poëtae amorem mihi injecit, vix dies praeterlapsus est, quo non aliquid vel correxerim, vel notarim. Quid quaeris? Brevi libellus Callimachearum Lectionum enatus est: quem quidem publici juris facere, et, nisi Tibi displicuerit, illustri nomini Tuo sub *Epistolae Criticae* titulo inscribere, fert animus. Atque ut rerum varietas lectores alliciat, simul ex adversariis meis depromam aliquot capitales Emendationes in Apollonium Rhodium, Orpheum, Homericos Hymnos, Theocritum, Nicandrum, Anthologiam, cet. Videor mihi aliquid praestitisse, quod pauci Criticorum praestiterunt vel aetate nostra, vel etiam superiori. Nam Aristarchi, et Bentleji maxime exemplo excitatus, in optimis, antiquissimisque poëtis ingentem numerum spuriorum versuum detexi, de quorum νοθεύσει nemini unquam est suspicio orta. Sed ad rem ipsam accedamus. Ac specimen quidem Tuum lectionum Callimachearum iis ingenii et doctrinae notis insigne est, ut merito summa quaeque de editione Tua exspectemus. Vers. 87. H. in Iov. docte et eleganter, ut soles omnia, defendis lectionem vulgatam. D'Orvillius nuper ad Coluthi v. 330. adhuc probavit νώσῃ.

Mihi tamen is, qui ἦρι νοήσῃ conjecit, minimo molimine rem confecisse videtur. Vix enim credo, poëtam, quo nemo magis metri concinnitati studuit, aliquid tam inconditi admisisse. Vers. 179. seqq. H. in Del. recte a Te restituuntur. Sed gravissimum mendum effugit perspicaciam Tuam. Nempe cum Viro longe eruditissimo, L. C. Valkenario in literis ad me datis legendum:

— ἴδησι δὲ πίονα καρπὸν
Γηκόνος αἰθόμενον, καὶ οὐκ ἔτι μοῦνον ἀκούῃ.

Vers. 62. H. in Lavac. Pall. acutissime duorum distichorum ordinem permutas. At dum eodem hymn. vers. 41. repetitionem statuis, secus sentio. Namque haud dubie verba Κρεῖον ὄρος monstrum sunt, sub quibus qualis lectio lateat, dies fortasse sequens patefaciet. De meis qualibuscunque emendationibus has habeto:

H. in Iov. v. 38. — τὸ μὲν πόθι πουλὺ κατ᾽ αὐτὸ
Καυκώνων πτολίεθρον cet.

Legendum: — τὸ μὲν πόθι πουλὺ κατ᾽ αἰπὺ
Καυκώνων πτολίεθρον —

Αἰπὺ πτολίεθρον sexcenties est apud Homerum, Cointum Smyrnaeum, alios.

H. in Apollin. v. 44.

Φοίβῳ γὰρ καὶ τόξον ἐπιτρέπεται καὶ ἀοιδή.

Abeat hic versus, unde male pedem intulit. Facile patet, eum e Scholio marginali esse conflatum. Sed quid censes, mi Ernesti, de v. 45. emendatione Scaligerana ad Propertium p. 273. Mirarisne superiorum editorum negligentiam et stuporem? Dudum in contextum recipiendum fuisset: Κεῖνος (alterum memoriae vitium erat) ὀϊστευτὺν ἔλαχεν ῥέα, κεῖνος ἀοιδήν. Alibi apud Callimach. legisti, διωκτὺς, γελαστὺς, ἁρπακτὺς, μαστύς. Iliad. ψ. v. 627. est ἀκοντιστύς.

Eodem hymn. v. 51.

— οὐδὲ κεν αἶγες
Δεύοιντο βρεφέων ἐπιμηλάδες, cet.

Mire Scholiast. ad h. l. balbutit. Repone:

— οὐδέ κεν αἶγες
Δεύοιντο βρεφέων ἐπὶ μηκάδες —

Librarii ad Tmesin non attendentes, *ἐπὶ*, quod cum *δεύοιντο* conjungendum erat, cum *μηκάδες* conjunxere. Hinc nata corruptela, cui similem notavit Kusterus ad Suid. v. *Ἐπιμείλιον*. *Αἶγες μηκάδες* notissimae ex Odyss. *I.* v. 124. 244. et aliunde. Obiter emendemus Hesychium, nisi eum jam emendaverint alii. Nam sola utor Hagenoënsi. *Μηκάδες*, inquit, *αἱ μὴ κοιμώμεναι αἶγες*. Lege — *αἱ μηκώμεναι αἶγες.*

H. in Dian. v. 8.

Δὸς δ' ἰοὺς καὶ τόξα. ἔα πάτερ· οὔ σε φαρέτρην,
οὐδ' αἰτέω μέγα τόξον.

Istud *ἔα πάτερ* plane frigidum est, et Callimacho indignum. Conjeci:

Δὸς δ' ἰοὺς καὶ τόξα. ἐΰπτερον οὔ σε φαρέτρην
οὐδ' —

Bion Idyll. I. v. 82. — *ὃς εὔπτερον ἄγε φαρέτρην*. Error natus est e scribendi compendio *ἐΰπτερ̃*. Hanc conjecturam summopere probare solet Hemsterhusius noster. Sequenti versu ista, *οὐδ' αἰτέω μέγα τόξον*, in nova, quam adornabis, versione reddas: Neque peto *magnopere* arcum. Nam Diana semetipsa corrigit. Si vulgares interpretes sequamur, sibimetipsa contradicit. Pessime.

Eod. H. v. 65.

Οὐδέποτ' ἀφρικτὶ μακάρων ὁρόωσι θύγατρες.

Quis non videt, poëtam a Deorum ad hominum filias transire? Ergo corrigamus:

Οὐδέποτ' ἀφρικτὶ μερόπων ὁρόωσι θύγατρες.
Mirum, vitium adeo manifestum Callimacho tamdiu inhaerere potuisse.

Eod. H. v. 118.

— *φάεος δ' ἐνέηκας ἀϋτμὴν*
Ἀσβέστου, τό ῥα πατρὸς ἀποστάζουσι κεραυνοί.

Scio, aliquid contra dici posse. Sed malim tamen:

— *φάεος δ' ἐνέηκας ἀϋτμὴν*
Ἀσβέστου, τό ῥα πατρὸς ἀπαστράπτουσι κεραυνοί.

Orpheus Hymno *Διὸς Κεραυνίου* p. 116.

Στράπτων αἰθερίου στεροπῆς παννυπέρτατον αἴγλην.

Idem Hymno *Διὸς Ἀστραπέως* p. 117.

Ἀστράπτοντα σέλας νέφεων —

Persimile illud est Hymno *Εὐμενίδων* p. 166.

— *ἀπαστράπτουσαι ἀπ' ὄσσων*
Δεινὴν, ἀνταυγῆ, φάεος σαρκοφθόρον αἴγλην.

H. in Del. v. 124.

— — *ἀλλά μοι Ἥρη*
Δαψιλὲς ἠπείλησεν —

Non feres hoc loco, Elegantissime Ernesti, qua es Graecae linguae peritia, vocem *Δαψιλές*. Diu est, quod conjeci, neque nunc poenitet:

— — *ἀλλά μοι Ἥρη*
Δασπλῆς ἠπείλησεν —

Optime vocem explicat Hesych. in *Δασπλῆτις*. Sed idem alibi: *Δάπτης*, *δεινός*. Non admitto hic Canonem Albertinum. Legendum: *Δασπλῆς*, *δεινός*.

H. in Lav. Pall. v. 73. 74. *Ἀμφότεραι* etc. Iam aliunde mihi suspicio nata est, duas fuisse Hymnorum Callimachi editiones. Hic certe locus hanc conjectu-

ram extra dubium ponit. Nam versus, quos modo laudavi, videntur ex prima editione primum margini adscripti, deinde in Textum migrasse. Sic Apollonii Rhodii duae fuerunt ἐκδόσεις. Atque idem, quod h. l. in Callimacho, in Apollonio etiam accidisse, docet Scholiastes antiquus ad Libr. III. 738.

H. in Cerer. v. 71.

Καὶ γὰρ τᾷ Δάματρι συνωργίσθη Διόνυσος.

Facessat hinc putidissimus versus. Plures alios, quibus magistelli Graeci Callimachi hymnos foedarunt, nobis, si vellet, indicare posset Hemsterhusius.

Habes, Vir Magne, quasdam Emendationum mearum in Callimachum; quas ego diligentius confirmabo, multoque pluribus augebo in Epistola Critica, publice ad Te scribenda. Tu vero brevi me certiorem facies, quo tempore Callimachum Tuum operis traditurus sis. Ipse enim intelligis, Epistolam nostram Tuam Callimachi editionem praecedere debere. Illustrem Spanhemium vix verbo tangam (ita enim jubet ὁ θαυμάσιος) quamvis non deesset carpendi materia. Nam profecto vix vulgaris linguae Graecae peritus fuit, nedum poëticae. Aequo Iove nuper de eo judicavit Cl. Valkenarius in exquisitae doctrinae plena Epistola, Fulvii Ursini Virgilio cum G. S. collato praemissa. Quid v. c. magis ἀπροσδιόνυσον iis est, quae H. in Cer. v. 56. notavit ex Iure Attico ad vocem ἐγράψατο. Vel pueri norunt, Nemesin mala dicta factaque hominum in diphthera Iovis notasse; nec cogitandum de ista verbi notione apud poëtas inaudita. Similiter v. 29. eiusd. H. primum ingressus est optimam viam, mox derelinquens, vulgatam tuetur. Quo nihil ineptius vidi. Ipse Vossianus Codex habet ἐπεμαίετο, nec quisquam obloqui debet. Apollodor. L. I. p. 14. ed. Galei de Cerere: ζητοῦσα (Φερσεφόνην) περιῄει. Sed res clara est.

Vidi ex Praef. Clav. Cicer. praemissa, Te novam Corradianae Quaesturae editionem curaturum. Caveas igitur, ne idem Tibi, quod Gronovio aliisque, accidat, ut posteriorem operis partem recudendam cures, negligas priorem. Nam revera prior libri pars est, Mediolani nescio quo anno excusa, quam nuper amicus quidam secum ex Italia attulit, mihique legendam dedit. Ipse dudum animadverteram Quaesturae principium legens, aliud opusculum, quod cum hoc conjungendum esset, a Corrado esse conscriptum. Sed quale esset, divinare non poteram. At charta jam deficit. Itaque vale, Flos patriae Tuae, nostrarumque decus literarum. Dab. Harlemi. Qui Harlemi? inquies. Nempe Splendidissimus Iuvenis, Nicolaus de Dierquens, cuius studiis praefectus sum, ab aliquo tempore valetudine minus prospera usus est. Itaque cum illo ex Academia Leidensi secedendum fuit ad eius aviam, Illustrissimam Matronam, de Raet. Inscribas igitur literis ad me Tuis verba Gallica: chez Madame de Raet. d. 20. Octobr. 1748.

EPIST. II.

VIRO MAGNO

IO. AUGUST. ERNESTI

DAV. RUHNKENIUS S.P.D.

Quoties de Te cogito, cogito autem saepissime, toties pudore suffundor, quod meae erga Te observantiae monumentum nondum in vulgus prodire jusserim. Cum nuper Callimachea typis essent descripta, ecce, aliud injicitur impedimentum. Erant enim amici, quibus ille libellus nimis brevis, nec justae formae esse videbatur. Itaque suadebant, ut conjecturas meas in Callimachi aequalem, Apollonium, quas tertio libello reservaveram, una in lucem proferrem. Quorum voluntati etsi obtemperavi, res tamen jam eo loco est, ut, nisi sub finem Ianuarii libellum nostrum acceperis, nunquam mihi inposterum fidem haberi velim. Iam vero ad id, cujus causa hae literae exarandae sunt, accedam. Luchtmannus noster invitus ex Miscellaneis Lipsiensibus intellexit, Reiskium apud vos novam Herodoti editionem moliri, cum ipse jam diu id consilii agitarit, variis eam in rem praesidiis undique comparatis. Praecipuo ejus editioni ornamento futurus est eruditissimus Lud. Kusteri Commentarius, qui eo quondam animo, ut ederetur, scriptus, hucusque latuit in Regis Galliarum Bibliotheca. Idem Luchtmannus crebris etiam literis egit cum Gleditschii heredibus de redimendo Bergleri Commentario, et tandem summam, quam exigebant, solvere promisit. Quo magis ipsi mirum videtur, hunc Commentarium Reiskio edendum committi. Itaque Luchtmannus a Te, Vir Clarissime, quam ob-

servantissime petit, ut Bergleriamas notas diligentius excutias, et, si judicio Tuo probentur, qualibet ratione possessoribus eripias. Demonstrabis praeterea bibliopolis vestris, editionem Lipsiensem, quamvis nova dote instructam, vilem tamen habitum iri prae ea, quae Leidae adornatur: praesertim cum verendum sit, ne praeclarus iste Editor idem sibi in Herodotum, quod in Petronium, licere putet. Sed de his satis.

Collationem Cod. Regii, quam Musarum in Gallia stator, Claudius Sallierius mecum communicavit, his literis adjeci. Scholia inde emendari et suppleri poterunt: ad textum parum redundabit emolumenti. Quod ultimis literis scribis de Dionysio, perpetuo Callimachi imitatore, illud ipse quoque animadverteram. Operae pretium fuerit, hos poëtas diligenter inter se conferre. Idem Dionysius multa prope ad verbum hausit ex Apollonio Rhodio et Nicandro: quod viros doctos latuisse miror. Callimachum passim emendat Francisc. Nansius in Nonni Euangel. Ioannis, et in Cur. Posterioribus; cuius emendationes superiores Editores vel nesciverunt, vel neglexerunt. Magna de editione Tua apud nostrates est exspectatio: quam quin superaturus sis, qui Te norunt, haud dubitant. Glasgoviae in Scotia fratres Foulisii, bibliopolae et arte sua et eruditione fere Stephanis pares, splendidissimam accuratissimamque parant Platonis editionem. Qui cum nuper Leidam inviserent, id mihi negotii dedere, ut literis per varias Europae partes missis exquirerem, qui Platonis Codices, quaeve doctorum hominum in eum animadversiones reperiantur. Praeterea plurimum aeris apud me deposuerunt, quo remunerer eos, qui Codicibus conferendis operam navant. Si quis igitur vestratium Platonem cum MStis committere velit, is luculento

praemio, et quod fortasse opinionem superet, se mactari sentiet. Bibliotheca Cittaviensi egregium Platonis Codicem attineri scio. Sed dubito, an ibi Graece doctus reperiatur. Tu, Optime Ernesti, nisi grave est, cum in hanc rem, tum in alios Platonis Codices, qui in Germaniae bibliothecis sunt, diligentius inquires. Plurimum Te salutant duumviri Tui studiosissimi, Hemsterhusius et Alberti. Uterque vehementi tenetur desiderio legendae illius Epistolae, quam in Lucianum scribes. Thomas M. Leidae prelum exercet. Bene de eo meretur ὁ πάνυ. Lennepius in Phalaride expoliendo occupatur. Ioannes Piersonus, juvenis valde eruditus et ingeniosus, Verisimilium libros parat, quibus Graecis scriptoribus, Euripidi maxime, lucem et medelam afferat. Salutabis meo nomine Elegantissimum Bachium, eique narrabis, me brevi aliquot libellos juridicos, recens editos, ad eum missurum. Vale, Vir Magne, mihique, quod facis, fave. Dab. Lugduni Batavorum. d. 28. Novembr. 1751.

EPIST. III.

VIRO EXIMIO ET AMICO SINGULARI,

IO. AUG. ERNESTI

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Libero tandem fidem meam, et libellum mitto criticum, quem, velim, eo animo accipias, quo Tibi a me est consecratus. Plura exempla, quae, si tanti putes, amicis Tuis dono des, alia via ad Te pervenient. Bachium nostrum, ut de eo in Actis Eruditor. sententiam dicat, rogavi. Apollonii Rhodii Excerptis MS. si res integra fuisset, libenter usus essem. Sed cum mihi non licuerit esse tam felici, easdem Variantes vel mea caussa non denegabis Iuveni valde erudito et ingenioso, Ioanni Piersono, qui brevi Verisimilium Criticorum librum editurus est in Euripidem, Sophoclem, Apollonium Rhodium, alios. Fac igitur, mi Optime Ernesti, prima quaque occasione illa Excerpta ad me perferantur. Magno, mihi crede, beneficio Piersonum Tibi devincies.

Callimachi Tui ingens apud omnes est exspectatio. Quem si Hemsterhusius, ut est a Te expolitus, viderit, eos in locos, quos Tu forte non attigisti, suas nobis impertiet animadversiones. Valckenario nemo plura collegit Fragmenta, ex ineditis praesertim Grammaticis. Ipse paucula notavi, quae hic subjiciam: Etymol. M. v. *Θηλαμών*. Schol. Sophocl. ad Trachin. p. 342. et Suid. v. *Παίδουσα*. Idem v. *Φάσηλις*. Schol. Thucydid. Lib. VII. p. 483. ubi vide notas in Scholia. Lexicon Barbarism. post Ammon. p. 197. Salmas. in Solin. p. 858. Hemsterh. ad Hesych. v. *Ἀφάρωτος*. Brevi Parisiis exspecto Apol-

lonii Dyscoli Grammaticam ineditam, ex qua horum numerum bene augere licebit. Nec dubito, quin multa Tibi suppeditaturus sit Scholiastes Homeri MS. Lipsiensis. Callimachi Epigramma est etiam inter Iensiana n. CXXII. quod emendavi Epist. Critic. I. p. 78.

Cum Saxio de Taciti editionibus agere non licuit. Is enim Leida Ultrajectum abiit, ut praesit studiis nobilissimi Burmanni, Casparis N. Africanum ad Te curabo, quam primum ejus copia facta fuerit. Wetstenius Testamentum impensis suis imprimendum curavit. Auctor ipsi fui, ut plura exempla Lipsiam mitteret. Brevi pars altera prodibit, frementibus licet pertinacioribus Theologis. Boernerus vester iniquissime egit cum homine candidissimo, et (quod expertus scribo) sanctissimo. Si commodum fuerit, fac, ad me perferantur opuscula quaedam a Te recens edita; quibus non ego solum, sed et Hemsterhusius et Alberti, qui Te quam officiosissime salutant, mirifice delectantur. Sed non amplius Te morabor. Vale, Vir Magne, et amorem in me Tuum mihi perpetuo conserva. Dab. Leidae. d. 28. Ianuar. 1752.

EPIST. IV.

ILLUSTRIS INGENII ET DOCTRINAE VIRO,

IO. AUG. ERNESTO

DAV. RUHNKENIUS S. P. D.

Iam dudum aliquid literarum ad Te dedissem, nisi exspectare voluissem, quid novi Lipsia afferatur. Sed cum neque a Bachio nostro literas acceperim, neque Acta Eruditorum et Miscellanea Lipsiensia huc perlata sint, non diutius cunctandum putavi. Quam a me petiisti Epigrammatum Callimachi Collationem, his literis adjeci; quae, non dubito, quin Tibi gratissima sit futura. Multa etiam ab aliquo tempore fragmenta collegi, quae missurus sum alias. Ἐπίκρισιν. Tuam conjecturarum in Callimachum mearum summa cum voluptate perlegi: tantum abest, ut aegre feram, sicubi in alia omnia eas. Etenim malim a Te viro tanto reprehendi, quam ab imperitis laudari. Sunt tamen paucula, quorum defensionem suscipiendam duxi.

Pag. 11. Recte tueris ἀνηβήσας. Nam ἀνηβᾷν pro *repubescere* ipse postea reperi apud Philonem Iud. Libro, quod deter. potiori p. 127. F. et in Cratini Fragm. ap. Phrynich. de Dict. Att. p. 42. Aliud exemplum ex Synesio laudat Thom. Mag. v. Ἡβᾷν. Piersoni tamen emendatio Verisim. p. 176. vel sic admittenda est, propterea quod ἂν in isto Euripidis loco necessario requiritur.

pag. 12. Ἐκ δὲ Διός. Quae acute contra dixisti, nondum videntur convellere emendationem meam. Amicus quidam conjiciebat: ἐπεὶ ἴδες οὐδὲν ἀνάπτων etc. Sed neque hoc facile probaveris. In hanc

sententiam Artabanus apud Plutarch. Themistocl. p. 125. C. regem suum vocat εἰκόνα θεοῦ.

Κεῖνος ὀϊστευτύν. Alter versus expungendus est, etiamsi haud probetur Scaligeri emendatio.

pag. 22. ὡδ' ἔμαθεν. Ἐγείρειν τεῖχος, νεὼν, etc. passim obvia sunt, et ex Veteribus notata Polluci I. 11. 1-4. et Thomae Mag. v. Ἀνέστησα. Si θεμέθλια ἐγείρειν alicubi reperiretur, nihil praesidii inde accederet versui putidissimo. Neque hac sola de causa est a nobis proscriptus.

p. 22. τόδε πρώτιστον etc. *Τόγε*, quod substituis, non minus friget altero.

p. 24. πολλὰς δὲ μάτην. Adjectiva a poëtis adverbialiter usurpari, pulcre novi. Sed si Tu, mi suavissime Ernesti, vulgatam lectionem tueri velis, proferenda sunt exempla, in quibus v. c. πολλοῖς ὀφθαλμοῖς βλέπειν dicitur pro πολλάκις ὀφθαλμοῖς βλέπειν, vel πολλοὺς πόδας ἐκτείνειν pro πολλάκι πόδας ἐκτείνειν, quae in omni Graecia frustra quaeres. Quodsi ἁπαλὰς tantopere displicet, cum Codice Vossiano legas, licet, πολλὰ δὲ μάτην, ut Ennius ap. Ciceron. de Divin. I. 20.

— multa manus ad coeli caerula templa
Tenebam lacrimans —

ubi vide Davisium. Forte non deerit aliquando, qui maluerit, παιδνὰς δὲ μάτην. Diodorus Anthol. L. III. cap. 9. p. 322.

— παιδνὰς αὐτίκ' ἔτεινε χέρας.

Eodem versu Amicissimus Valckenaerius pro μέχρις ἵνα corrigit λέχρις ἵνα, me non probante. Legi, sed non adnotavi, illud ipsum μέχρις ἵνα apud Quintum Calabrum. Conf. Wass. in Thucyd. Lib. I. p. 8. Doctus hercle vir Valckenaerius, et in Graecis literis id, quod summum est, consecutus. Sed eodem, quo quondam Isaac. Vossius, morbo laborat. Raris-

sima quaeque et insolentissima consectatur, invitisque obtrudit auctoribus.

p. 25. Miror, Te, ὦ φιλότης, scenam in coelo collocare. Quomodo enim haec conveniant liberis a majorum gentium Diis, qui coelum obtinebant, procreatis? Imo si Tecum cogites, quae tandem istae in coelo puellae fuerint, reperies omnino nullas. Nam Dianae et Minervae liberi nulli perhibentur, Iovis quidem, Apollinis et Mercurii plures, sed omnes ex mortalibus genitae mulieribus, omnes in terra degentes. Quare per μακάρων θυγατέρας intelligo Daemonum vel Heroum filias. Et sic facile patet, quam alienus ab hoc loco sit fuliginosus iste Mercurius.

p. 42. Mentem Tuam non satis assequor. Omnino scripsi, αἰτιῶνται, scilicet οἱ περὶ Ἀπολλώνιον. Quodsi αἰτιᾶται passive accipias (modo quis veterum ita locutus sit) stare potest vulgata lectio.

p. 45. Ῥάριον. Grammatici ap. Ducangium indicium Tibi debeo. Quid? si iste cum reliquis erraverit?

p. 48. Displicet jam μέλλον pro μᾶλλον. Nam articulus τὸ necessario adesse deberet. Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. Sed cum Callimachus haec scribenti ad manum sit, ut longiores a Te literas eliciam, novas aliquot divinationes Tibi dijudicandas proponam. Epigr. XXIX. in Aratum. Dubito, an ullum unquam proditum sit Epigramma, ad quod emendandum tanto studio undique convolarint homines eruditi. Hinc illa lectionis varietas, hinc tot discrepantes sententiae; quas si accurate explicare, et tandem certi quid constituere velis, non Nota, sed Dissertatio aut Prolusio Tibi scribenda erit. Primus, quantum recordor, hoc Epigramma ex Achille Statio MS. protulit Fulv. Ursinus [Ernesti in margine

adscripsit: *Sed tum jam editus erat Achilles a Victorio.*] in Virgilium p. 14. edit. Valckenar. Deinde una cum Achille ediderunt Petrus Victorius, et Petavius in Uranolog. p. 134. In Epigr. emendando ingenium exercuerunt summi viri, Is. Casaubonus, Salmasius, Is. Vossius, locis a Fabricio Bibl. Graec. Vol. I. p. 380. indicatis. Citatur praeterea cum aliqua varietate a Io. Fello init. Arati Oxon. 1672. editi. Diversa etiam est Holstenii lectio, sed omnium maxime depravata: unde nollem Illustris Bentlejus arripuisset σύντονος ἀγρυπνίῃ. Bentlejo se objecit Ioannes Clericus Sylvar. Philolog. cap. VI. p. 237. Lectionem σύγγονος ἀγρυπνίῃ vetustissimam esse, cum aliunde patet, tum ex vita Arati inedita, quam his literis adjeci. Hanc nuper eruditus Anglus in gratiam meam ex Bibliotheca Bodlejana descripsit. Cumque multa praeclara contineat, et quae alibi frustra quaeras, non alienum fuerit, eam a Te, Praestantissime Ernesti, in notis ad Callimachum in lucem proferri. Iam etsi illa verba, quibus Grammaticus hoc Epigramma laudat, propter corruptelam non satis intelligo, patet tamen hinc id, quod dixi, lectionem σύγγονος ἀγρυπνίης pervetustam esse. Sed quis mortalium commodam inde sententiam extundat? Equidem huic Grammatico, docto ceteroquin et antiquo, ne dejeranti quidem crediderim, Callimachum isto modo scripsisse. Uti vero prioris distichi redintegrandi gloria Tibi reservata est, ita posterioris inveteratam corruptelam recte mihi videor profligasse. Legendum:

— χαίρετε λεπταὶ
Ῥήσεις, Ἀρήτου σύμβολον ἀγρυπνίης.

Leonides Anthol. L. VI. cap. 12. p. 563.

— λάμβανε βίβλον,
Καῖσαρ, ἐσηρίθμιου σύμβολον εὐεπίης.

Sed simillimum illud Anthol. L. V. cap. 28. p. 509.

Στῆσε τρόπαιον, ἐῆς σύμβολον ἀγρυπνίης.

Fragm. CCCVII. *Τὸν ὄγδοον ὥςτε Κόροιβον.* Huius Fragmenti interpretatio unice petenda ex Dione Cassio Tom. II. p. 1359. ed. Reimar. *οἱ μὲν γὰρ Ἠλεῖοι φθονήσαντες αὐτῷ. μὴ, τὸ λεγόμενον δὴ τοῦτο, ἀφ᾽ Ἡρακλέως ὄγδοος γένηται.* Sicut qui Herculem virtute aequat, *ὄγδοος ἀφ᾽ Ἡρακλέως* proverbio dicitur, sic qui Coroebo stoliditate par est, *ὄγδοος Κόροιβος.* De Coroebo vid. Hesych. in v. Leopard. Emend. XIV. 8. et Perizon. in Aelian. V. H. XIII. 15.

Corruptissimum est Fragm. CCCXXXIII. *Ἀ πάντως ἵνα γῆρας.* Sed, nisi fallor, commode refici potest ex Plutarchi Sympos. Lib. III. Qu. VI. p. 654. D. ed. Francof. qui haec laudat ex hymno aliquo, Callimachi, puto, in Venerem: *Ἀάβαλε ἄνω τὸ γῆρας ὦ καλὰ Ἀφροδίτα.* Scio, *ἄβαλε utinam* significare. Hic tamen leviter correxerim: *Ἆ βάλε ἄνω τὸ γῆρας* etc. *Ah! differ senectutem.* Forte huc etiam respicit Glossarium vetus MS. quod penes me est: *Ἀναβολὴν ᾠδῆς, ὡς λέγουσιν, ἄνω βάλε ἡμῖν. καὶ ὁ ποιητής·* (Odyss. *Α.* 155.) *ἤτοι ὁ φορμίζων ἀνεβάλλετο.* Plura, si haec non displicuerint, alias.

Ernstium Tuum, quod doleo, neque videre licuit, neque ullum adeo ipsi potui humanitatis officium praestare. Venit enim huc alienissimo tempore, id est, vacationibus aestivis, quo et ego et plerique Professorum in praedia suburbana secesseramus.

Wesselingius diu reluctatus, tandem Herodoti curam suscepit: de quo historiae veteri Graecisque literis merito gratulamur. Bergerianum illud exemplar si sex septemve ducatis emere possis, Luchtmanno gratissimum feceris. Idem Luchtmannus abs Te

petit, ut tempus, quo Callimachum Tuum huc missurus es, circiter definias. Nam ipsi constitutum est, ut nova editio tanto citius prodeat, Spanhemii Commentarium interea prelo subjicere. Latentne curae aliquae posteriores in margine exemplaris, quod Berolini est?

De Corradi editione, quae Tua est facilitas, non aegre feres, si Tibi aurem vellam. Multi hic illius aureoli libelli desiderio tenentur, cui illustre decus addet praefatio Tua. Non est, quod Te, quem nihil harum rerum fugit, admoneam, *τὸν πάνυ* Leopardum Emend. L. V. cap. 1. quaedam in Corrado castigasse, quorum in praefat. habenda erit ratio. Bene vale, mi suavissime Ernesti, meque, ut amas, ama. Salvebis ab Hemsterhusio et Alberto, quorum uterque Tui est studiosissimus. Saluta meo nomine elegantissimum Bachium, ad quem propediem fasciculum dimissurus sum. Dab. Leidae. d. 28. Novembr. 1752.

EPIST. V.

VIRO SUMMO,

IO. AUG. ERNESTI

DAV. RUHNKENIUS S.P.D.

Binas literas eodem fere tempore a Te accepi, suavissimas illas quidem, ut omnia, quae a Te proficiscuntur, sed tamen breviores et rariores, quam vellem. Quod si inposterum graviora negotia Tua ullo modo ferant, ut frequentius inter nos sit commercium, noli librarios ad mercatum ventitantes exspectare, sed potius, quoties et quandocunque libuerit, literas cursori publico perferendas committe. Pro Corradi Quaestura maximas Tibi gratias ago. Reiskii in Sophoclem libellus hic omnium risu exceptus est. Qualis Oudendorpii de illo sententia sit, ex schedula adjecta cognosces. Indignationem vero mihi aliisque expressit iniqua et proterva recensio, qua ingeniosissimi Piersoni Verisimilia vexavit. Vellem, Ernesti amicissime, auctoritate Tua, quae, sicut esse debet, summa est, importunam belluam a talibus audendis deterrere posses. Sed cui bono iste criticas in Graecos auctores Animadversiones scribit? Credo, ut sibi insigne nomen paret, et saepe ad partes vocetur ab eruditis Belgis. Sed sciat, hic praeter duos proletarios Literatores, Abreschium et Bernardum esse neminem, quin Reiskio non dicam publice laudando, sed nominando et citando librum suum conspurcari putet. Ne hoc quidem honore fruetur, ut quis lacessitus ei respondeat. Nam ut quis facilem et paratam sibi victoriam videat, nollet tamen tam vili sanguine inquinari.

Wetstenii Testamentum nuper ad Te dimisit Luchtmannus. Schultensii Diss. de lingua primaeva affecta adhuc latet apud ejus filium. Callimachi editio prima est in Bibliotheca Dorvilliana. Sed nemini ad eam aditus patet. Dabo tamen operam, ut illam Tibi aliunde parem. Hymnum in Lav. Pall. ex vetusto Cod. olim protulit Ang. Politianus in Miscellaneis; quorum si primam editionem contuleris, deprehendes aliquot varietates haud contemnendas. Memini Te aliquando scribere de mittendo ad nos indiculo locorum difficiliorum. Quod ut quam primum facias, Te etiam atque etiam rogo. Sic enim mihi aliisque justum tempus fuerit ingenii in iis expediendis exercendi. Levicula quaedam, a me ad Fragmenta observata, his literis adjeci. Arati etiam Vitam rursus mitto, accuratius descriptam, et castigatam meis et Hemsterhusii notis. Poterit in nova editione locum invenire vel ad celebratissimum illud Epigram. XXIX. *Ἡσιόδου τόδ' ἄεισμα*, vel etiam inter Fragmenta. Suidae *ἀποσπασμάτια* quaedam, suppresso poëtae nomine, citantur, quae haud vana conjectura ductus ad Callimachum refero.

v. *Καταΐξ*. Tom. II. p. 254.

Ἠδ' ἀπὸ Μηρισσοῖο θοὴ Βορέαο καταΐξ.

Addit: *ἤτοι ἀπὸ τῆς Θρᾴκης*. Qui versus ex eadem officina prodiit, ex qua ille H. in Dian. v. 114. *Αἵμῳ ἔπι Θρήϊκι, τόθεν βορέαο καταΐξ*.

v. *Κυμαίνει*.

Αἶψα δὲ κυμαίνουσαν ἀπαίνυτο χυτρίδα κοίλην.

Ex Hecale, ut puto.

v. *Ὑποδράξ*.

Ἡ δὲ πελιδνωθεῖσα, καὶ ὄμμασι λοξὸν ὑποδρὰξ
Ὀσσομένη —

Conf. Nicandri Theriac. v. 457. 765.

v. *Φόβη.*

— ὅστις φόβησι ξανθοτάταις ἐκόμα.

v. *Ὀκχή.*

— Γέντο δ' ἐρείκης
Σκηπάνιον, ἃ δὴ πέλε γήραος ὀκχή.

v. *Ἀείπλανα.*

— Ἀείπλανα χείλεα γρηός.

v. *Ὕδω.*

Αἴθρην τε εὐτέκνον ἐπ' ἀγρομένοις ὑδέοιμι.

Ex Hecale.

v. *Πασσαγίην.*

Εἷλε δὲ πασσαγίην. τόδε δ' ἔννεπε.

v. *Λάταξ.*

— τοὺς δὲ μεθυστὰς
Καλλείψω, λατάγων πλήγμασι τερπομένους.

v. *Πίσεα.*

— καὶ ἀγλαὰ πίσεα γαίης
Βόσκεο —

v. *Ἀφραστύες.*

— Σχέτλιαι ἀνθρώπων ἀφραστύες —

v. *Φιληδῶν.*

Ἀλλὰ Κόρινθος ἔδεκτο φιλόξενος κ. λ.

v. *Λιμός.*

Γαστέρι μοῦνον ἔχοιμι κακῆς ἀλκτήρια νούσου.

Ex Hecale. Conf. sup. v. *Ἀλκτήρια λιμοῦ.*

v. *Στόρνῃσι.*

Αἱ δὲ γυναῖκες στόρνῃσιν ἀνέστρεφον.

Addit, περὶ Θησέως, ut nihil dubites, quin ex Hecale sumptum sit.

v. *Ἄξεινος.*

— ἧχι κονίστραι
Ἄξεινοι λυθρῷ τε καὶ Ἄρεϊ πεπλήθωσι.

Sed pro *Ἄρεϊ* legendum *εἴαρι*, sicut ipse citat v. *Ἔαρ*. *ἔαρ* pro *sanguine* est apud Callim. in Fragm. Vid. Hemsterh. ad Lucian. Dial. Deor. p. 240.

Facile me in nonnullis horum conjectura fallere potest. Sed, qui utramque Anthologiam et editam et ineditam, itemque ceteros poëtas accurate cum Suida contuli, videor mihi de his aliquanto certius posse pronunciare. Nondum a Callimacho Tuo discedo. Hymn. in Lav. Pall. v. 47. fons *Φυσάδεια* commemoratur, cuius nusquam alibi mentionem reperire potuit Spanhemius. Iuvat illum Tibi monstrare in mendo cubantem apud Stephan. Byz. v. *Ἀσβῶτος*. ubi hi Euphorionis versus afferuntur: *Ἵπποι καλὰ νάουσαν ἐπορνύμενοι φυγάδειαν.* Paene miseret me Interpretum, *φυγάδειαν fugam* exponentium. Sed Tu videris, acutissime Ernesti, sitne potius et in Callimacho et in Euphorione scribendum *Φιγάλειαν*. Pausan. L. VIII. p. 680. commemorat *Φιγαλίαν νύμφην τῶν καλουμένων Δρυάδων*. Ibidem est *Φίγαλος*, Lycaonis filius, a quo urbs *Φιγάλεια* nomen invenerit. Atque haec urbs simili interdum errore *Φυγάλεια* scribitur. Vid. Sylburg. ad Pausan. L. IV. p. 337.

Wetstenii Testamento addidi aliquot Timaei plagulas, in quas quo severiorem crisin exercueris, eo mihi gratius feceris. Castigationibus Tuis locus dabitur in Addendis. Coepi etiam aliquid commentari in Marmora vetera, quod inseretur Memoriis Academiae Inscriptionum et elegantiorum literarum Parisinae, cui ante aliquod tempus socius sum adscriptus. Totus deinde ero in expoliendo praeclaro Phrynichi opere MS. *Σοφιστικῇ προπαρασκευῇ*, cui alia etiam quantivis pretii accedent, ex Codd. MSS. Bibliothecae Regiae deprompta. Sed quando Tuam in Lucianum Epistolam criticam videbimus? Dedit mihi

hoc negotii Tui studiosissimus Hemsterhusius, ut Tibi aurem vellerem. De Bachio nostro diu est, quod nihil acceperim. Vellem, magnum aliquod et duraturum ingenii sui conderet monumentum. Non poterit eius studium melius collocari, quam in Xenophontis Operibus omnibus ea cura et accuratione, qua digna sunt, edendis. Cui editioni insigne decus conciliarent Codicum Florentini et Parisiensis Collationes, quae nuper, favente fortuna, in manus meas pervenerunt.

Sed paene mihi exciderat, meritas Tibi gratias agere pro pulcherrimo munere, Aristophanis Nubibus: cujus Tu Scholia vetusta ita castigasti, nihil ut fieri potuerit ingeniosius aut elegantius. Cum p. XXII. tentares ἐκ τοῦ ψηφίσματος Μεγαρέων, forte gravioribus intentus, non attendebas ad duplicem vim Genitivorum apud Graecos.

Vale, Vir summe, et ad me, quam creberrime poteris, quam longissimas literas scribe. Plurimum Te salutant VV. CC. Hemsterhus. Alberti et Oudendorpius. Dab. Lugduni Batavor. d. 27. Decembr. 1753.

EPIST. VI.

IO. AUG. ERNESTI,

VIRO CELEB.

DAV. RUHNKENIUS S. P. D.

Sub ipsum meum ex Batavia discessum duas a Te literas eodem fere tempore scriptas accepi. Inprimis mihi gratus accidit Catalogus, quem adjeceras, Boernerianae bibliothecae: ex qua, quando potestatem facis, pretio, quo Tibi digni visi fuerint, hos mihi libros parabis: p 53. Phrynichum cum MSS. Vulcanii, si sint alicujus momenti. p. 71. Grammii Observationes in Aratum. p. 68. Scholia Homeri Romae 1517. cum MS. Salmasii. Ibid. Scholia in Homerum cum notis Bongiovanni. p. 72. Nicandri Theriaca apud Aldum. Ib. Dicta Poëtarum ex Stobaeo. p. 75. Scholia in Homerum Horneji. p. 78. Phileleutheri Emend. in Menandrum. NB. editionem Cantabrigiensem. p. 86. Spicilegium Animadversionum in Philostratum. p. 102. Putschii Grammat. veteres. Grammii Observat. in Aratum et Bongiovanni Scholia in Hom. quovis pretio emi velim. Alterum enim nunquam vidi, alterum semel.

Equidem plures jam menses in Gallia haereo, et in excutiendis tum publicis, tum Monasteriorum privatorumque hominum bibliothecis multum studii consumo. Neque adhuc poenitet sumtuosum iter fecisse. Nam vere Tibi, mi Ernesti, affirmare possum, hoc iter meum, si Deus vitam concesserit, et Graecis literis et omni antiquitati mirifice profuturum. Etenim plures jam Criticos Grammaticosque veteres ex situ et pulvere extraxi, quos, si videris, Polluci

et Harpocrationi comparandos, Hesychio et Suidae praeferendos judicabis. Sunt in his, quos dudum vetustate absumtos credebam, v. c. Orion Thebanus et Eudemus, quorum prior Ἐτυμολογικὸν scripsit, posterior Λεξικὸν Ῥητορικόν. Callimachi nihildum reperi, nisi fragmenta in Glossariis antiquis conservata, quae alio tempore Tecum communicabo. Sub futurae aestatis initium in Bataviam revertar. Neque Tibi auctor sum, ut ante mittas Callimachum Tuum. Nam qui eius curam suscipiat, scio neminem.

Quod scribis, Te, Callimacho absoluto, Xenophonti operam navaturum, dignum est negotium summo ingenio et rara eruditione Tua. Equidem non tantum excerpta Codd. quae penes me sunt, Tibi suppeditabo, sed cum editis etiam committam Cod. membranaceum, qui Leidae est, Κυροπ. et Ἀναβ. Quicquid porro in Parisinis Bibliothecis est, facile pro ea, qua apud Illustres viros, Bignonium et Sallierium valeo, gratia Tibi parabo.

Sed quando videbimus novam Clavis Ciceronianae editionem? Galli etiam hunc librum avide desiderant. Ceterum miror, Librarios vestrates tam parum commercii habere cum Gallis. Certe ne unum quidem exemplar Suetonii et Taciti Tui huc perlatum est: quod moleste ferunt Academici eruditi. Capperonnerius et Bejotus, Viri Graece doctissimi, praeclaram parant Plutarchi editionem: quam in rem infinitum apparatum ex omnibus fere Europae bibliothecis congesserunt. Parisinis etiam typis cum maxime exscribitur Sophocles ex editione Iohnsoni, cui Capperonnerius, me auctore, adjiciet duorum vetustissimorum Codd. collationem. Reperi hic Medicum, Falconnetum, supra quam credas, Graece do-

ctum, quem omnibus modis excito ad condendum ingenii tam praestantis monumentum. Quid agit Gunzius vester? Dabitne novam Aëtii editionem? De Trilleri Hippocrate spes omnis, credo, decolavit. Nec aegre feret, qui norit hominem loquacem, ventosum, indoctum; cui, mirum est, Gesnerum tantum tribuere.

Bachium nostrum quam officiosissime salutabis. Vale, Vir Summe, meque, quod facis, ama. Dab. Lutetiae Parisiorum. Kalend. Februar. 1755.

Literis Tuis inscribas: à l'Hôtel le Duc de Bourgogne rue de Parcheminerie à Paris.

EPIST. VII.

IO. AUG. ERNESTI,

V. CEL.

DAV. RUHNKENIUS S. P. D.

Diutius, quam vellem, inter nos cessavit literarum commercium; quod cum per se suavissimum, tum bonis literis utilissimum, singulari semper coluimus diligentia. Superiore quidem anno, mense, ni fallor, Februario, Parisiis ad Te scripsi. Sed nihil ex illo tempore a Te literarum vidi. Neque tamen ideo minus saepe vel de Te, vel de Callimacho Tuo cogitavi: quod vel ex schedula subjecta cognosces. Continet autem illa varia Callimachi Fragmenta *ἀνέκδοτα*, ex libris MSS. eruta. Restant tamen paucula, alias Tecum communicanda, in MSto Apollonii Rhodii Scholiasta, cujus usuram vir doctus in Frisia eum

maxime a me impetravit. Hymnorum Callimachi Codicem Regium cum ipse Parisiis evolverem, glossas quasdam interlineares, tanquam levioris momenti, in doctissimi Capperonnerii collatione reperi omissas: quas et ipsas in schedulae fine a me restitutas videbis. Notae Tuae in Callimachum, noli dubitare, Vir Summe, quin, quo erunt longiores uberioresque, eo futurae sint gratiores. Sed quandoquidem Luchtmannus hunc poëtam duobus voluminibus concludi cupit, poteris, ut spatium lucreris, Vulcanii, Annae Fabri et Spanhemii Fragmenta cum Bentlejanis in unum corpus conflare. Testimonia etiam de Callimacho aliter disponenda sunt, inepte a Graevio digesta. De Epigrammatum et Fragmentorum versione Latina, quid Tibi videtur? Negat Hemsterhusius illam Bentlejo deberi. Quid porro censes de Epigrammate, Ἐχθαίρω τὸ ποίημα τὸ κυκλικὸν etc. Hoc idem Vir egregius insulsum recentioris poëtae lusum credit. Sed Hemsterhusianae conjecturae alias fortasse Tecum communicabuntur. Callimacho expolito, si Xenophonti studium Tuum dicare constitueris, quaeso, me in hujus laboris societatem admittas. Debebit elegantissimus scriptor nonnulla ingenio nostro: sed multo plura libris, quos consuluimus, manu exaratis. Equidem totus sum cum in ornanda Phrynichi Προπαρασκευῇ Σοφιστικῇ, tum in paranda Scholiorum Platonicorum, nuper a me ex bibliothecarum latebris protractorum, editione. Noli quaerere, an vetustate et eruditione commendentur. Si ab Aristophanis et Apollonii Criticis discesseris, non est, quod cum illis ullo modo comparari possit. Vix fidem inveniet, tam egregium antiquitatis monimentum tamdiu latere potuisse in illa bibliotheca, cui Budaeus, Casaubonus et Rigaltius olim praefuerunt.

Vellem, commendatione Tua, mi Ernesti, Guelpherbyti notitiam contrahere possem cum viro quodam Graecis literis exculto. Est enim in illa bibliotheca unus alterve Codex, cujus mihi opus est Variantibus. Qua de re, nisi grave est, facies me certiorem. Salutat Te Hemsterhusius, et tum Callimachum Tuum, tum Epistolam Criticam, quam olim in Lucianum scribere promisisti, cupide mecum exspectat. Vale, mi amicissime Ernesti, meque, ut amas, ama. Dab. Leidae. d. 28. April. 1756.

EPIST. VIII.

VIRO SUMMO,

I. A. ERNESTO

D. RUHNKENIUS S. P. D.

De honorum incrementis, quae in patria Tua capis, Tibi etiam atque etiam gratulor. Illud tantum vereor, ne novi, qui hinc nascuntur, labores, Tibi Callimachi hoc anno absolvendi facultatem eripiant. Interea Spanhemianus Commentarius prelo subjicietur. De Epigr. et Fragm. versione non aliam Hemsterh. habet dubitandi caussam, quam quod multis locis indigna est Bentlejo, nec accommodata ad certissimas, quas in textum recepit, emendationes. Idem de conjungendis aliorum fragmentis cum Bentlejanis mecum sentit; nec repetendas esse censet Voetii notas, futiles certe et perineptas. Frischlini Annotationes quamquam et ipsae hanc literarum lucem vix ferre possunt, ideo tamen, nisi Tu aliter jubeas, sunt iterandae, quod passim a Spanhemio aliisque

ad partes vocantur. Tantum igitur spatii cum Tibi, mi Ernesti, tributum sit, indulge ingenii Tui ubertati, sic ut non solum de Callimacho, sed de omnibus Graeciae veteris scriptoribus praeclare mereare: indulge etiam aureae, qua polles, eloquentiae, ut alii hinc in posterum eleganter commentandi exemplum sumant. Scribant breves notulas, quibus curta domi supellex est. A Te, quem antiquitatem omnem capitali ingenio complexum scimus, non nisi Excursus, quales in Suetonium dedisti, exspectamus. Pergratum mihi feceris, si, ex occasione, cultissimis Homeridarum hymnis medicinam afferas. Equidem dudum illorum editionem meditor. Sed omnium lectionum monstris me haud parem sentio perdomandis.

Quicquid reliqui erat penes me Fragmentorum Callimachiorum, in schedula subjecta reperies. Plura fortasse suppeditabit Apollonii Dyscoli Grammatica inedita; cujus adhuc dimidia tantum parte fruor. Brevi tamen, quod restat, Parisiis ad me perveniet.

Literis, quas ad Cl. Heusingerum dedi, Tuas adjungas, meque ipsi de meliore nota commendes. Mirifice gaudeo, hominem Graece doctum in illa urbe reperiri. Habet enim bibliotheca Ducis multos insignesque Codices, in his etiam, ni fallor, Xenophontem: quem ut conferri jubeas, Tibi magnopere auctor sum. Wetstenius, qui Amstelodamo Leidam habitatum concessit, non videtur alienus ab imprimendo Xenophonte, Tuis curis perpolito. Albertus noster pristinam sanitatem recuperat, Teque salutat. Hemsterhusius etiam Tibi salutem impertit. Is parum contentus juvenilibus in Pollucem curis, ingentem in hunc Grammaticum scripsit Commentarium, separatim edendum, in quem omnes eruditionis suae thesauros profudit. Cui etsi nihil ad perfectionem absolutionemque deest, tamen is manum de tabula

tollere nescit. Iuvenis Frisius Gisbertus Koen novam parat editionem Corinthi, vel Gregorii potius, de Dialectis. Kappii bibliotheca si publice vendatur, quovis pretio comparabis Lennepio V. C. Phalaridis Variantes, olim ipsi a possessore negatas. Munusculis, quibus me beasti, nihil mihi accidere potuit gratius. Brevi, ut spero, leve ἀντίδωρον a nobis habebis. Batavi tandem cogitant de me in lucem protrahendo: qua de re plura scribam sequentibus literis. Bachium V. C. meo nomine, nisi grave est, saluta, et literas ad me crebrius, fac, mittas. Hoc nihil mihi erit jucundius. Vale. Dab. d. 24. Iunii Leidae. 1756.

EPIST. IX.

VIRO SUMMO,

IO. AUG. ERNESTO

DAV. RUHNKENIUS S. P. D.

Magnum, mihi crede, dolorem capio ex rebus adversis, quibus Saxonia cum maxime conflictatur, et intimis saepe sensibus angor, vel de Te cogitans, vel de Rittero nostro. Nec Tibi unquam vitio verterim, si hoc tali tempore, non dicam Callimachi, sed mei etiam sit memoria a Te abjecta. Sed cum nulla res aeque sollicita sit, atque amor, facile Tibi est ad existimandum, quanta cupiditate flagrem aliquid de Te rebusque Tuis audiendi. Cui desiderio meo si vel tribus verbis satisfeceris, maximo me a Te beneficio affectum existimabo.

Obtigit enim tandem vitae meae studiisque portus maxime tranquillus et optatus. Namque mense proxime elapso Illustrissimi Academiae Leidensis Curatores, Hemsterhusii commendatione adducti, me publicum Graecarum literarum Praelectorem (Germani Professorem extraordinarium dicunt) proposito satis luculento stipendio, crearunt. Cessit igitur mihi summus magister, ob aetatem ingravescentem, Graecae linguae docendae provinciam: historiae enarrationem sibi servavit.

Spanhemianum Commentarium operae prope totum exscripsere. Ultimam, quam vocant, revisionem legens, infinitos errores sustuli, a superioribus operis, Spanhemii manum minus assecutis, temere invectos. Vel sic tamen restant aliquot loci, ex quibus nullum idoneum sensum elicias. Integrae enim periodi loco suo turbatae videntur.

Heusingerus, cujus amicitiam literis humanissime scriptis ambieram, cui Tu etiam me de meliori nota commendaras, nihildum mihi respondere dignatus est. Cupio scire, quid de eo tam male meritus sim, ut ne tralatitio quidem honore me dignum putet. Amico utitur Fischero, ex quo Tibi facile erit silentii caussam indagare.

Plura scribam, si literas Tuas accepero. Interim vale, Vir eximie animoque meo carissime, et Bachium nostrum meo nomine saluta. Dab. Lugduni Batavorum d. 8. Mart. 1757.

EPIST. X.

VIRO SUMMO,

IO. AUG. ERNESTI

DAV. RUHNKENIUS S. P. D.

Plane nescio, quibus verbis Tibi gratias agam, aut quomodo satis digne laudem munera, quae humanissime ad me misisti. Quanta in illis est verae et solidae doctrinae copia et varietas! Profecto vix quisquam hodie in una eruditionis parte tantum eminet, quantum Tu in omnibus. Commentatione ad Callimachi Epigramma nihil in hoc genere vidi elegantius. Utinam omnes Callimachi locos, qui aliqua difficultate laborent, tam fuse illustrares! Nam ut longas aliorum notas plerumque respuo, sic Tuarum notarum longissimam quamque optimam judico. Nihil igitur caussae est, quare prolusionem, quam dixi, in editione Callimachi ipsa contrahere et in compendium mittere constitueris. Satis Tibi ad commendandum spatii erit, Frischlini et Voëtii nugis abjectis. Praeterea varios illos Indices, qui bis terve eandem rem exhibent, in duos, alterum verborum, alterum rerum, conflare, et Spanhemiano Commentario subjicere constituimus. Quo facto rursus plurimum spatii lucraberis. Bentlejanas notas, cave, textui subjicias. Sunt enim jam in alterum volumen a me rejectae. Sed ut de Epigrammate illo verbum addam, nondum a Te persanatum videtur. Nam ὄχα, quod restituis, nimis rarum est, nec usquam, nisi apud Homerum cum superlativo ἄριστος, reperitur. Felicior hora fortasse Tibi, quod probabilius sit, suppeditabit. Ad Bentleji conjecturam, σύντονος

ἀγρυπνία, conferas, licet, Nilum Epist. XXXIV. p. 57. *ἀλλὰ καὶ εὐχῆς ἅψαι λοιπὸν, καὶ ψαλμῶν νηφαλίων, καὶ ἀγρυπνίας συντόνου.* Bentl. Fragm. XI. videtur augeri posse versiculo e Luciano Amor. T. II. p. 451. Sed eundem versum cum alio pentametro laudat Plato in Lyside p. 503. Tu videris.

Dissertationes in Iosephum, quas praeclare instituisti, quaeso, quam primum absolvas, et postea illas, si ita visum fuerit, uno volumine conclusas, in Belgarum nostrorum gratiam, separatim edas.

Initia Tua Rhetorices multis scholarum magistris in hac regione commendavi; qui se insignem inde fructum cepisse uno ore fatentur. Verum iidem vehementer cupiunt, caput de Elegantia luculentius uberiusque a Te tractari. Sic enim juventus in posterum carere posset futili Heineccii de stilo libello.

De conferenda prima Callimachi editione, quae est penes doctiss. Askew, nondum evanuit spes omnis. Sed hac de re Ampliss. Meermannus brevi ad Te scribet.

Abreschius a Graecis scriptoribus obscurandis se ad Latinos convertit. Brevi enim edet Nonium Marcellum. Io. Schraderus, juvenis sagacissimus et tritus Latinorum poëtarum lectione, Animadversionum libros prelo subjecit.

Fasciculum, quem nuper ad Te dimisi, spero Te jam accepisse. Vale, vir amicissime, meque, ut amas, ama. Plurimam Tibi salutem impertit Hemsterhusius noster. Tu meo nomine salutabis elegantissimum Bachium. Dab. Lugduni Batavorum. d. 14. Sept. 1757.

EPIST. XI.

VIRO MAGNO,

IO. AUG. ERNESTI

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Mirifice gaudeo, partem Tuarum in Callimachum Animadversionum brevi ad nos perventuram. Quas quidem tanta cupiditate, quanta nullum unquam librum alias, devorabo. Iam gestit animus illarum se pascere ubertate et elegantia. ἔστρεφον nunc Tecum retinendum censeo in Fragm. 129. Sed conjectura Tua in secundo versu Epigr. 49. minus placebat Hemsterhusio. Quid Salmasius tentarit, ex schedula adjecta cognosces. Felicius conjecisti in ejusdem Epigr. v. 7. ἄκος enim a vero parum abest. Ipsum verum acute vidit Iuvenis eruditissimus, Io. Piersonus, qui mihi dudum scripsit, sibi emendandum videri: Ἔσθ' ἁμῖν κ' ἀκεστὺς ἀφειδέα etc. quo etiam Codicis Salmasiani vestigia ducunt. ἀκεστὺς scripsit, ut ἀσπαστὺς apud Suidam, (quod inter fragmenta referes) γελαστὺς, ὀϊστευτὺς, et alia, de quibus notavi Epist. Crit. II. p. 42. Epigramma 33. ut saepe solet, expressit Aristaenetus L. II. ep. 16. quod a nupero ejus Commentatore non est observatum. In Fragmento, quod Ep. Crit. II. p. 42. tractavi, nunc legere malim:

— Μοῦσαι νιν ἑοῖς ἐπὶ γούνασι τυννὸν ἔθεντο.

Hesychius: Τυννός. μικρὸς, τηλικοῦτος. Eadem opera emendabis Suidam: Ἐκ τιτυνῶν. ἐκ μικρᾶς ἡλικίας. Portus, probante Kustero, corrigit, ἐκ τυτθῶν. Sed reponenda est forma Dorica, Ἐκ τυννῶν.

Ceterum quae Gesnerus ad Te de Callimachi fragmentis scripsit, a jocante potius, quam a serio

loquente profecta esse videntur. Itaque hac ratione non nimis confiderem. Equidem Callimachi Fragmenta eo diligentius tractanda existimo, quo plura iis insunt singularia, nec alibi facile reperiunda. Nam qui plura in Graeca lingua hoc poëta novarit, novi neminem. Neque omnia tam obscura et incerta sunt, quam initio obiter lecta videntur. Memini me aliquando hoc Callimachi fragmentum ex Orionis Thebani Etymologico MS. Tecum communicare: *Χεὰ καὶ χειὰ. ὁ φωλεός. — καὶ μετὰ περισσοῦ τοῦ ὁ Καλλίμαχος·*

Οἱ δ' ὥστ' ἐξ ὀχεῆς σοφίσαι ὅλως αὐχέν' ἀναυχήν.

Ne Sphingis quidem aenigma magis obscurum esse potest, quam hic versus. Atqui pignore certare paratus sum, me ipsam Callimachi manum restituisse:

Οἱ δ' ὥστ' ἐξ ὀχεῆς ὄφις αἴολος αὐχέν' ἀνασχών.

Adposite Cicero in Vatin. cap. 2. *Repente enim te, tanquam serpens e latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus, intulisti.* Iam non vacat Nicandrum evolvere, ubi loci plures sunt simillimi.

Editionis principis Collationem recte ad Te spero esse perlatam. Sed vereor, ne pro thesauro carbones. Variantes quin accurate enotatae sint, non est quod dubites. Petieram enim et ab Askeo et Gally, ut vel levissima quaeque excerperent.

Bongiovanni in Iliadem Scholia forte ad Meermannum nostrum aut alium misisti. Ego certe nunquam illa oculis usurpavi. De Libanii Orationibus multum Te amo. Sed Tu, velim, mihi indices libros, quos Tibi illorum loco mittam. Alia enim conditione nihil a Te accipere constitui.

In pauculis Ioannis Grammii libellis, qui ad notitiam meam pervenerint, rectum et probum in literis nostris judicium, eximiamque Graecae linguae scientiam admiror. Quodsi mihi vel ex Tua vel ex amicorum Tuorum bibliothecis omnia ejus opuscula suppeditarentur, illa Batavis typis descripta, oblivioni eriperem. Quicunque vero vel Dissertatiunculam mihi suggesserit, illi operum nitide recusorum exemplar cum gratiarum actione donabitur.

Discipulum quendam Tuum, Bauerum, ni fallor, aliquid in Thucydidem scripsisse, nescio ubi legi. Miror, illius libelli nullum exemplar huc esse perlatum.

Hemsterhusius, Tui supra quam credas studiosus, Te etiam atque etiam salutat. Vale, Vir Magne, meque, ut amas, ama. Dab. Lugduni Batavor. d. 19. Februar. 1758.

EPIST. XII.

VIRO MAGNO,

IO. AUG. ERNESTI

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Si quid unquam gratum atque exspectatum ad me pervenit, certe Tuae in Callimachum observationes fuerunt: in quibus legendis relegendisque plures cum Hemsterhusio dies jucundissime consumsi, ubique admirans acerrimi vim ingenii, doctrinae exquisitae ubertatem, elegantiamque scribendi. Profecto si nullum aliud ingenii Tui monimentum extaret, hae observationes solae facile nomen Tuum immortalitatis memoriae consecrarent. Neque minus, quam ego, illis excutiendis delectatus est Hemsterhusius, qui saepe mirifice laetabatur, Te quasi de compacto in eadem cum ipso incurrisse cogitandi vestigia. Quo praestantius igitur opus Tuum nobis visum fuit, eo majorem operam dandam putavimus, ut ne levissimi quidem naevi in tam pulchro corpore relinquerentur. Notulas nostras in adjectis schedulis reperies, praebituras Tibi largam, ni fallor, disputandi et Callimachum castigandi materiam. Itaque *δευτέρας φροντίδας*, quibus priores observationes vel augeas, vel emendes, a Te avide exspecto; quas ego deinde locis suis diligenter accommodabo. Praestat enim illas suo loco, quam in addendis, legi. In notis Tuis ubique summa humanitate erga doctos homines usus es: erga me quidem nimia, sic ut paucorum etiam locorum, quos Tibi suggesseram, indicium mihi tribueris. Verum cum non consueverim laureolam in mustaceo quaerere, nomen meum passim delevi. Ex talibus nihil mihi

laudis vel accrescit vel decedit. Tibi vero, qui Editoris partes sustines, ne levia quidem sunt praetermittenda. Vellem, si per alia negotia Tua liceret, unum alterumve Excursum adderes, v. c. de Pelagonibus, de quibus multa dicenda supersunt. Nam ubi Tu rem aliquam latius tractare instituis, mihi quicquid est eruditorum hominum superare videris.

Exspectaveram etiam literas ad me Tuas, item Libanium Giovanni, atque alia, de quibus mihi superiore anno scripseras. Quae omnia, vereor, ne in via direpta perierint. Interea dum Tu insigne animadversionum Tuarum supplementum paras, nos in Spanhemiano Commentario excudendo pergemus. Visum est mihi commodius futurum, si utriusque voluminis Indices in unum conflati Spanhemiano Commentario sive alteri volumini subjicerentur. Nec multiplicandus est numerus Indicum, ut in Graeviana editione factum. Nam tres sufficiunt, quorum primus designet ipsa verba Callimachi, secundus res, quae Variorum notis continentur, tertius denique auctores veteres vel emendatos vel illustratos. Estne aliquis inter discipulos Tuos, qui praemio, quod Luchtmanni proponent, invitatus, ingratum Indicum conficiendorum laborem suscipere velit? Nostri quidem homines, quibus plerisque lauta res domi est, nimis fugiunt ejusmodi laborem.

Hemsterhusius, Tui, si quis alius, studiosus, plurimam Tibi salutem impertit. Vale, Vir Eximie, et Bachium nostrum meis verbis saluta. Dab. d. 18. Iulii 1758.

Literas, quas posthac ad me dabis, non alia, quam quae per Hamburgum est, via mittas velim.

EPIST. XIII.

VIRO MAGNO,

I. A. ERNESTI

D. RUHNKENIUS S. P. D.

Cum mihi Luchtmannus significaret, se literas ad Te daturum, etsi post satis longam epistolam nuper admodum ad Te scriptam vix quicquam, quod scriberem, haberem, malui tamen undecunque scribendi argumentum arripere, quam plane nihil scribere. Codicis Vossiani collatio, qua usus es, non a me ipso, sed ab alio viro docto facta erat. Itaque ipse his diebus rursus illum Codicem ad editum textum exegi, et Variantes plures ab illo viro docto omissas vidi, quarum suo quamque loco in notis Tuis inserui. Eadem etiam opera animadverti, Vossianum plerumque convenire cum Ambrosiano secundo. Sed nollem neglecta esset quantivis pretii lectio H. in Cer. vs. 93.

— μέσσῳ ἐνὶ πλευρὰς (sic)

Δειλαίῳ ἴρίς τε (sic) καὶ ὀστέα μοῦνον ἔλειφθεν.

Hinc si rescribas ἐνὶ πλευραῖς vel ἐπὶ πλευρὰς, non opus erit Valckenaerii nostri conjectura. In vs. 96. et ipso controverso χώ deest in Vossiano, sed spatium voci relictum. Deinde pro ἔπινε scribitur ἔπυνε. (sic) Latet aliquid monstri in hoc versu. Est quoque observatu digna ejusdem Codicis lectio H. in Del. v. 239. nempe εἴρης pro ἄγρης. Dudum etiam mihi suspicio injecta est, Codicem Regium a Capperonnerio non satis accurate esse collatum. Ac jam poenitet, me ipsum, cum Parisiis essem, illum non contulisse. Nulla enim varietas notatur in illis lacunis,

a Te indicatis: unde Tu conjecisti, Benenatum vel Stephanum supplementa lacunarum ex illo Codice petiisse. Sed ego minime dubito, quin eaedem lacunae sint in MS. Regio, quae in ceteris. Qua de re ut certior essem, nuper amicis meis Parisinis hoc negotii dedi, ut mihi illorum locorum lectionem quam accuratissime enotarent. A Te brevi luculentum notarum Tuarum supplementum exspectamus. Operae excudunt initium H. in Dianam. Vale, Vir amicissime, et, quo animo semper in me fuisti, eodem esse perge. Dab. Lugduni Batavorum d. 24. Novembr. 1758.

EPIST. XIV.

VIRO MAGNO,

I. A. ERNESTI

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Utinam multas similes a Te literas accipiam, quae quo longiores fuerunt, eo suaviores gratioresque. Pro pulcerrimo munere, nova Homeri editione, maximas Tibi gratias ago. Etsi per alia negotia nondum singula excutere potui, tamen quocunque oculos conjicio, intelligens et acre judicium Tuum admiror. De Vossiani Codicis Lectionibus scripsi ad Valkenarium, quas an missurus sit, nescio. Est enim paulo morosior. Vellem in editionem Tuam etiam conjecisses quicquid boni habet editio Barnesiana: quod adeo exiguum est, ut tribus quatuorve plagulis imprimi potuisset. Nunc propter paucula ista, haec quoque editio magno pretio emenda est. Minus probo Gesneri

consilium de addendo Indice Seberiano. Est ille liber satis obvius, et nuper Florentiae recusus. Cur non potius adduntur Scholia minora ad fidem editionis Lascaris et aliarum castigata? Quod me ad Homerum ornandum vocas, in eo agnosco humanitatem Tuam. Equidem certum et perpetuum, ut spero, nominis mei domicilium in Platone habebo: in quem et Scholiasten ἀνέκδοτον et perpetuas animadversiones separatim edam. Scholiastes ille, Aristophanis et Apollonii Interpretibus similis, multum supra vulgus Grammaticorum sapit, et tam reconditae eruditionis thesaurum affert, ut ipse Hemsterhusius fateatur, se ab ejus lectione nunquam nisi doctiorem recedere. Sed habeo multo plura quantivis pretii ἀνέκδοτα, quibus editis novum Graecis literis lumen orietur. Homero absoluto, Te ad Iosephum rediturum vehementer gaudeo. Ipse Codicem Albertinum cum edito diligentissime committam: qui labor mihi jucundus futurus est cogitatione Tui. Velim tamen Iosepho ita operam naves, ut nunquam ex oculis dimittas Xenophontem. Nemo hodie est, qui melius Te Musam Atticam ornare posset. Valkenarius nuper publice scripsit, Agesilai Vitam, quae nobis omnibus adhuc in deliciis fuit, non Xenophontis esse opus, sed insulsum nugacissimi Sophistae, qui Xenophontis nomen mentiatur, commentum. Spuriam quoque judicat Apologiam Socratis, et quaecunque in Cyropaedia leguntur ad finem usque post verba καὶ οὕτως ἐτελεύτησεν p. 238. ed. Leunclav. quanquam de his nondum ausus est publice sententiam dicere.

De Heinio bis terve ad Te scripsi. Sed nihil responsi tuli. Roterodamenses avide exspectant secundas ejus curas in Epictetum. Luchtmanni novae editionis Catulli, Tibulli, Propertii curam illi deferre cupiunt.

Brevi a Te exspectamus Indices cum Praefatione. Omnia mittentur per cursorem publicum. Vecturam solvent Luchtmanni. Vale, decus nostrum, meque, ut amas, ama. Dab. Lugduni Batavorum d. 24. Iunii 1760.

In Addendis haec locum invenire poterunt:

H. in Iov.

vs. 13. Vossianus Codex habet *ἐπιμίσγεται.*

vs. 34. Vossian. Cod. habet *κευθμόν.* Ergo alium Codicem nominare voluisti.

p. 29. pro *Ciceronem* lege *Terentium.*

vs. 83. *ἐμβάλλειν τινὶ τὶ* pro *dare* dixit Pindarus Olymp. VII. 79. nec quicquam habet insolens.

H. in Dian.

vs. 25. *γυίων* confirmare potuisses ex Maximo *περὶ ἀρχῶν* vs. 156. et 240.

H. in L. P.

v. 17. Puto omnes veteres edd. et Codices habere *κάτοπτρον.*

H. in Cer.

vs. 103. *Βόσκε λαβών.* Miror Te sequi veterem versionem, quam recte explosit Spanhemius.

p. 322. in textu legendum: *ἐπ' ἐσσομένοισιν.*

Frischlini et Voetii notas omnes ex hac editione ejecimus, Te, credo, haud invito.

Prodiit his diebus Claudianus P. Burmanni cum praefatione P. Burmanni Secundi, in qua rursus misere vapulat Saxius. Nec prius Archilochus Amstelodamensis satirae scribendae finem faciet, quam Lycamben Ultrajectinum ad restim adegerit.

EPIST. XV.

CELEBERRIMO VIRO

I. A. E R N E S T I

S. P. D.

I. R. E R N S T.

Non negligentia, sed consilio factum est, Vir clarissime! quod tam diu a me non fueris salutatus. Nam etsi multa Tua in me extent et maxima beneficia, quorum, ut gratum meum animum testarer, primo quoque tempore per litteras memoria fuisset revocanda: tamen tempori Tuo, quod Tibi quam plurimum superesse in publica commoda vellem, parcendum esse duxi, nec Te gravioribus intentum inani rerum mearum commemoratione fatigandum: ni possem aliquid attentione Tua dignius legendum Tibi offerre. Itaque quae ad iter meum pertinent, et quae inde ab eo tempore mecum gesta sunt, velim ex Cl. Reiskio intelligas, ad quem ante 4 vel 5 hebd. hac de re scripsi, litterae autem malo fato, cum perlatas diu credidissem, nuper mihi fuerunt redditae: eas nunc Tua fretus humanitate, et, quod inter vos est, commercio, una cum hac epistola ad Te mitto, ne idem fatum denuo experiantur. *)

Magno usui mihi fuit, cum Hamburgi essem, Tua apud Cl. Reimarum et Schaffshausium commendatio. Utinam et mihi daretur occasio, qua meam erga Te voluntatem, qualis sit, demonstrare possem: animus certe non deest, qui de Te bene mereri vehementer cupit.

Cum nuper apud Cel. Valkenaerium essem, qui per 3 dies, quibus Franequerae fui, me nunquam,

*) Leguntur in Sylloge Epistolarum post Reiskii Vitam p. 539. sqq. Schaefer.

ut ita dicam, a latere suo dimisit, magnus fuit inter nos et fere unicus de Te sermo. Narrabam de Callimacho, quem ad prelum paras. Optat ille, ut quam primum id fieri possit hanc Tuam fidem exsolvas. Multam et ipse operam inde ab longo tempore in Callimacho collocavit, cujus maxima pars in dubiis lectionibus restituendis versatur. Petii quidem Tuo nomine, ut Tecum, quicquid hujus laboris esset, communicet: sed impetrare non potui; quod pleraque satis tumultuarie ad juvandam solum memoriam in schedas conjecta esse diceret, nec haberet quicquam in hac re elaborati. Ait tamen, si gratum Tibi id fore intellexerit, per litteras Tecum de quibusdam Callimachi vexatioribus locis esse acturum: non ut ipse, quum Tu eum auctorem es editurus, in scena compareat publice; sed ut ansam praebeat meditationi Tuae eique quodam modo subserviat. En specimen, quod ut ad Te mitterem, potestatem mihi fecit Vir Clarissimus.

Inter Epigrammata N. 35. Ed. Graev. quod incipit: Ἡμισυ μεν etc. ultimi duo versus:

οὐκ ἰσον ἐφη σον, ἐκεισε γαρ ὁ λιθολευστος
κεινῃ και δυσερως οἰδ' ὁτι που στρεφεται.

plane nullum sensum fundunt et procul dubio corrupti sunt. Cl. Valkenarius ad versus maxime latinos respiciens in notis citatos, quibus Graeca imitari studuit Q. Catulus, hanc tentat emendationem:

οὐκ εἰς Εὐξιθεον, κακεισε γαρ ἡ λιθολευστος
τεινει, και δυσερως οἰδ' ὁτ' ἐπιστρεφεται.

Nomen Euxithei frequens. Si tamen aliud substituendum mavelis, non valde se dicit repugnaturum.

In Bentl. Fragm. Callim. N. 145. quinque sunt versus spurii. Clemens nempe Alex. ad quem provocatur, haec omnia descripsit ex Aristobulo, cujus

fragmentum exhibet Euseb. Praep. Ev. l. 13. ed. Vigerii pag. 663. ad 668. Ibi pag. ult. Lino versus isti tribuuntur, multo convenientius. Neque enim ausus fuit Callimacho tribuere, cujus carmina in aula Ptolemaei fuerunt notissima: cum finxit istos omnes falsarius Iudaeus, sicut confinxit Homericos, qui ibidem prostant. Ex Hesiodeis unus tantum est genuinus.

En tandem aliud fragm. Callim. de quo quid sentias aut quo referas, ex Te scire cupit Cl. Valken. Tryphon *περι τροπων* nondum editus in Cod. Lugd. B. ad *allegoriam* citat haec Callimachi *ἐν Ἰαμβοις*· — *το πυρ ὁπερ ἀνεκαυσας, πολλην προσανεχρηκε φλογα. ἰσχε δε δρομον μαργουντος ἱππου.* Et subjungit: *ταυτα γαρ οὐ κυριως εἰρηται, οὐ πυρος, οὐδε ἱπποδρομιας ἐστι λογος· ἀλλ' ὡσπερ αἰδουμενος ἐκδηλων ἠλεγξε την ὑπερβολην της θρασυτητος.*

Sunt et alia praeter haec, quae singulari prorsus humanitate mecum communicavit Celeberrimus vir, in Callim. observata. Sed quia non statim notavi mihi, jam non succurrunt. Dabit tamen ipse melius, si ad eum scripseris, intelligatque Tibi haec non displicuisse. Mihi quidem sufficit, esse in hoc forte aliquid, ex quo studium meum erga Te adpareat. Si alia in re, dum apud Belgas sum, uti me potes, impera. Medio futuri mensis, si Deo ita placuerit, Amstelodamum proficisci constitui. Inde et reliquas Batavorum urbes perlustrandi dabitur occasio. Quare si quid Tibi est in ea parte terrarum negotii, curabo quam diligentissime. Vale, Vir Celeberrime, mihique ut coepisti favere perge.

Dabam Groningae d. 8. Iul. 1752.

Mon adresse: logé chés M. le Prof. Engelhard à Groningue.

EPIST. XVI.

VIRO CELEBERRIMO

IO. AUG. ERNESTI

S. D. P.

L. C. VALCKENAER.

Bene sit Ernstio, qui Tuam mihi benevolentiam sic paraverit, eas ut ad me dares Literas humanitatis plenas, quibus nihil accidere poterat huic homini iucundius; sed illud Ernstium scripsisse nolueram, libenter me meam de vexatioribus Callimachi locis sententiam ad Te perscripturum: dantur enim non pauca, quibus illuminandis ego quidem prorsus impar, si quem alium, Te solum idoneum iudico. Gratulor Callimacho, quem Tu, Virorum praestantissime, Tibi sumseris expoliendum. meas animadversiones, quas Tecum communicari benigne petis, exspectare quaeso noli. Tentamina quaedam Critica libenter ad Te perscribam, ea lege, ut si quid his insit, quod et verum videatur, et Tibi forte nondum in mentem venerit, his, quando commodum erit, utaris tanquam Tuis; reliquis, quae minus probantur, reiectis, et ne memoratis quidem. Si quid etiam fragmentorum est in schedis, quod a Bentlejo sit praetermissum, colligam aliquando, Tecumque communicabo; sed hoc, quidquid est, erit non magni sanequam momenti. Id unum satis insigne, quod e Tryphone memoravit Ernstius. Ecce Tibi locum integrum Tryphonis e libello *περὶ τρόπων* in MS. Leid. nondum edito. *Ἀλληγορία ἐστὶ φράσις, ἕτερον μέν τι δηλοῦσα, ἑτέρου δὲ ἔννοιαν παριστῶσα.*

τότε δὲ καταχρῶνται δεόντως τῇ ἀλληγορίᾳ, ὅταν ἢ δι' εὐλάβειαν ἢ δι' αἰσχύνην οὐ δύνανται φανερῶς ἀπαγγεῖλαι. ὃν τρόπον παρὰ Καλλιμάχῳ ἐν ἰάμβοις, τὸ πῦρ, ὅπερ ἀνέκαυσας, πολλὴν πρόσω κέχρηκε φλόγα. ἴσχε δὲ δρόμον μαργοῦντος ἵππου. ταῦτα γὰρ οὐ κυρίως εἴρηται· οὐ πυρὸς οὐδὲ ἱπποδρομίας ἐστὶ λόγος, ἀλλ' αἰδούμενος ἐκδηλῶν ἤλεγξε τὴν ὑπερβολὴν τῆς θρασύτητος: — Modulus et sensus inerunt sic collocatis:

Τὸ πῦρ, ὅπερ ἀνέκαυσας,

....

πολλὴν πρόσω κέχρηκε
φλόγ', ἴσχε δ' ἵππου (τοῦτο) μαργοῦντος δρόμον.

Tu vide, quaeso, num sincerum sit *κέχρηκε*.

Huic succedat aliud fragm. quod Callimacheum videbitur, si recte iudicas apud Athen. III. p. 73. E. pro *Καὶ Λάχης* a me positum *Καλλίμαχος*.

Ὡς δ' ὅτ' ἀέξηται σικυὸς δροσερῷ ἐνὶ χώρῳ.

In Epigramm. XLIII. plane Tecum sentio Codicum scripturam: *Οὐκ εἰς τὸν Κήφισσον*; anteponendam fallaci coniecturae, *Οὐκ εἰς Εὐξίθεον; κἀκεῖσε γὰρ ἡ λιθόλευστος Τείνει*. Postremum hoc nitebatur istis Q. Catuli apud Gell. XIX, IX. credo, ut solet, ad Theotimum Devenit. sic est: perfugium illud habet: sicut ultimum *ἐπιστρέφεται*, Lucianeis, quae designas. Haec ut incertissima sint, non tamen dubitabis, quin Epigr. XXXVI. vocem *λεοντάγχωνε* minime Graecam recte correxerim, legendo:

Τίν με, λεόνταγχ', ὧδε, συοκτόνε, φήγινον ὄζον
Θῆκε.

Tibi me hic posuit. τίν με ὧδε θῆκε. Epigr. XXXV. *τὶν τόδ' ἄγαλμα — εἵσατο τῇδε.* Epigr. LI. *ὧδ' ἔθετο.* Theocrit. Epigr. XVII, 4. *Τὶν ὧδ' ἀνέθηκαν* et alibi saepius.

Sed nunc quidem missis Epigrammatis fragmina quaedam attingam.

Fragm. XI et XII ad molles elegos potius pertinuisse videantur quam ad obscurum opus *Αἰτίων*. Eorum alterum ille Noster ex Apollonio bene restituit, alterum adhuc insidet menda: nam *ἄλειφα ῥέει* ferri nequit. Corrigendum *ἄλειφαρ ἔοι*. Suspicari licet, olim in Elegis lectum:

[*Ὑγρὸν*] *ἐπ' ὀστλίγγων αἰὲν ἄλειφαρ ἔοι.*

sit mihi caput semper unguento delibutum. Homerum imitatus, *ὑγρὸν ἄλειφαρ* dixit Theocrit. XVIII, 45. De his si dubitas, inter incerti loci fragmenta plura sunt, de quibus vix possit dubitari, quin sint ex Elegiarum libris repetita. Tale certe videtur Fragm. CVI. in cuius secundo versu vide num mea verisimilis sit correctio, legentis:

Ξάνθε, σὺν εὐόδμοις ἅβρα λίπη στεφάνοις.

ut Elegiam inscripserit amico *Xantho*, *mollia* autem *unguenta* dixerit *ἅβρα λίπη*. Callim. h. Apoll. v: 39. *Οὐ λίπος Ἀπόλλωνος ἀποστάζουσιν ἔθειραι.* Eodem pertinent meo quidem iudicio Fragmenta Bentlejana CVII. CIX. CXI. CXXI. CXXVI. CXXVII. CXL. CLXV. *Μηδ' ἀπ' ἐμεῦ διφᾶτε μέγα ψοφέουσαν ἀοιδήν.* His etiam insunt nodi Te digni vindice, inprimis fragmentis CVII et CXXI. de hoc loco quid censeas, si quando cognovero, coniecturam quoque periclitabor. In Fragm. CXI mutilo iuverit forte posuisse v. 1. *Εὖτ' ἀνέμων* ..... deinceps autem:

Τρίσμακαρ, (εἰ παύρων ὄλβιός ἐστι μέτα·)
Ναυτιλίης ὃς νῆϊν ἔχει βίον.

Quum tempestas agitat mare, Beatus ille (si paucis esse possit contentus) Qui etc. Bentlejus, quod mireris, ad Elegos unicum tantum retulit e Stobaeo Fragm. LXVII. in cuius secundo versu MS. Cod.

Etymologi Leid. praefert *μοῖραν ἀφῆκε μίαν*, quod forte vulgato non postpones. Versu tertio legi malim:

Ἢ ὅτ' ἴῃ εἰς ἄνδρα συνέμπορον, ἢ ὅτε κωφαῖς —

vel quum adierit *eadem expertum* mala. Sic interpretor Callimachi *συνέμπορον*. Aeschyl. Pers. v. 600. *κακῶν μὲν ὅστις ἔμπορος κυρεῖ*. quod frustra tentabat Stanlejus. Cydippen utique sine controversia Bentlejus ad Elegos referre potuerat; ad *Hecalen* autem, nobile poëma, multo etiam plura, si historiae sibi notae ductum Vir Summus sequi voluisset.

Sed in illis etiam, quae non cadunt in dubitationem, ut fit, eius aciem effugerunt minuta quaedam.

In Fragm. XLI. adest, quod ille subaudiendum putabat:

— *τῖον δέ ἑ πάντες ὁδῖται Ἦρα φιλοξενίης* —

hospitalitatis gratia. ἦρα id est *χάριν, ἕκητι φιλοξενίης*. Hesychius: *Ἦρα — χάριν*. Dosiades in Ara secunda: *ἦρ' ἀρδίων, propter tela.*

Fragm. XLVII. — *ὥς ποτε λύχνου Δαιομένου*] Quod Scholiastes habet Arati, *εὖτ' ἂν λύχνου*, leviter mutatum, veram, ut puto, lectionem praebebit: *εὖθ', ἅμα λύχνῳ Δαιομένῳ*. — Theocrit. Eid. XXIV, 51. *λύχνοις ἅμα δαιομένοισι*. Callimacho quoque frequentatur *εὖτε*, *quum*, quod h. in Lav. Pall. v. 60. infelici conatu tentabat interpres non optimus Ez. Spanhemius.

Fragm. XLVIII. nomen praebet Proserpinae *Δηϊώνην*, ne Tibi quidem, Eruditissime Vir, uspiam lectum: litera duntaxat una transposita corrigendum: *Δηωΐνην*. Cereris, *Δηοῦς*, filia dicta fuit *Δηωΐς* et *Δηωΐνη*, pro ratione patronymicorum. Nosti qui vocarint *Deoïda. Deoïnen*, ut Heroïnen dixerat Callim. Memorantur *Ὠκεανίνη* (Callim. h. Dian.

v. 13. 62.) Ἀδρηστίνη, Εὐηνίνη, (Hom. Il. *E*, 412. *I*, 553.) Θειαντίνη (Maxim. περὶ καταρχῶν v. 191. 271.) *Cleobuline, Nereine, Neptunine.* Venuste Bentlejus versu 2. corrigit χῶρι διατμήγουσι pro χωρίον, hac parte diversus a Scaligero, qui in margine exemplaris Pindari, quod Leidae servatur, posuerat χῶρον ἀποτμήγουσι. Scin' quid mihi venerit in mentem? scribendum esse:

Οἵ νυ καὶ Ἀπόλλωνα πανάρχέος ἠελίοιο
Ὧρον ἀποτμήγουσι, καὶ εὔποδα Δηωΐνην
Ἀρτέμιδος.

Si Grammaticos statuas huic nomini praefixisse suum X, manifestum erit, unde fluxerit χωρίον. Plutarch. de Is. et Osir. p. 31. ἔνιοί φασιν, καὶ τὸν Ἀρουῆριν — καλεῖσθαι μὲν πρεσβύτερον Ὧρον ὑπ' Αἰγυπτίων, Ἀπόλλωνα δὲ ὑπὸ Ἑλλήνων. Eusebius Praepar. Evangel. III. p. 96. C. γινέσθω αὐτοῖς ὁ ἥλιος ποτὲ μὲν Ἀπόλλων καὶ πάλιν Ὧρος — ὥσπερ καὶ ἡ σελήνη ἢ Ἶσις ἢ Ἄρτεμις. Porphyrius apud Eumdem p. 113. A. ὁ ἥλιος Ὧρος κατὰ τοῦτο κέκληται. et Apollo de se ipso p. 125. D.

Ἥλιος, Ὧρος, Ὄσιρις, Ἄναξ, Διόνυσος, Ἀπόλλων.

Eustath. in Il. *Δ* p. 352, 26. conferatur. Versus e Theophili Pancratiaste apud Athen. X. p. 417. B. sic restituendus est:

Κοτύλας. B. Ἄπολλον Ὧρε καὶ Σαβάζιε.

ibi vulgatur Ἀπολλόδωρε καὶ Σα. Casaubon. Anim. p. 712. *scribi*, inquit, potest Ἄπολλον, Διόνυσε καὶ Σαβάζιε. *Sed quaerendum aliud moneo, quod propius veritatem accedat:* monenti, ni fallor, obtemperatum. Sed haec, fateor, modum excedunt.

Fragm. LI. Etymologicon Leidense MS. praefert:

Δινομένην περὶ βουσὶν ἐμὴν ἐφύλασσεν ἅλωα.

Suidae locum ad ista quoque comparavit Is. Vossius in Hesych. T. I. p. 349. n. 17. Hic a Ruhnkenio Nostro diversum sentiebam, sed Elegantissimo juveni nolim obniti.

Fragm. LII. versu videtur posse locupletari:

Ἡνίκ' ἂν ἀνθρώποισι κατ' ἠέρα ταῦτα φανείῃ,
Αὐτοὶ μὲν φιλέουσ', αὐτοὶ δέ τε πεφρίκασιν,
Ἑσπέριον φιλέουσιν, ἀτὰρ στυγέουσιν Ἑῷον.

ex Olympiodoro, cui Callimachus dicitur λέγων ἐν Ἑκάλῃ, ἡνίκα μὲν γὰρ φαίνεται τοῖς ἀνθρώποις ταῦτα, Αὐτοὶ μὲν φ. — κατ' ἠέρα Callimacheum est, de stellis positum h. in Del. v. 175. Ἡνίκα πλεῖστα κατ' ἠέρα βουκολέονται. Nisi dedisset Olympiodorus ταῦτα, hic forte poni posset λύχνα φανείῃ, quod ex Etymologo Bentlejus excitavit Fragm. CCLV. — V. 3. ἀτὰρ στυγέουσιν habet Eustathius (in cujus loco Bentlej. vulgavit alterum) praeter Tzetzen. Gregor. tamen Nazianz. hunc locum imitatus Carm. III. v. 573.

Τὴν ἄλλοι φιλέουσιν, ἀπέστυγεν ἄλλος αὐτμήν.

Haec si Tibi non penitus displicuerint, ejusdem generis plura perscripsisse minime pigebit.

Euripidis Phoenissas tum e Codd. MSS. tum vel inprimis e Veterum citationibus sumseram illustrandas, in usum Auditorii potissimum. Sed libellus in multo majorem molem excrescit, quam primum destinaveram. De hac etiam opella vereor ne nimis benigne judices. Vale, Vir Eximie, meque, obsecro, inter Celeberrimi Nominis virtutumque Tuarum admiratores numera. Dabam Franequerae, ipsis Kal. Octobr. MDCCLII.

P. S. Literas Reiskio inscriptas ad ipsum deferri pro humanitate curabis. Is mihi Scholiorum in Eurip. exemplum obtulit ad Cod. MS. collatum.

EPIST. XVII.

IO. AUG. ERNESTO

VIRO EXCELLENTISSIMO

S. D.

L. C. VALCKENAER.

Tu quidem occupatissimus in istis publicae rei rerumque domesticarum turbis nihil habebas causae cur silentium excusares; ego vero, qui ad epistolam Tuam, plenam humanitatis et benevolentiae, aestate superiori cum primo Homeri Tui volumine ad me perlatam, dudum respondere debueram, causam adferre nullam possum probabilem, quam silentio meo praetexam. Tria quoque reliqua Homeri volumina jucundissima gratus accepi, et ante hos tres menses Callimachum. Ab hoc tempore Herodotus me valde tenuit exercitatum. Tandem, otium nactus animumque vacuum, Tua in Callimachum ceterorumque exigere coepi observata. His tandem iucundissime perlectis non diutius committendum censui, ut Tibi, virorum Humanissimo, prorsus inhumanus viderer. Iam primum quidquid a me culpae fuit in officio tamdiu neglecto commissum, id omne Tu qua es facilitate huic homini, Magni nominis Tui studiosissimo, condonabis. Deinde oro Te, vir Praestantissime, ut hoc Tibi persuadeas, nihil evenire posse, quod meam erga Te venerationem ullo modo queat imminuere. Tandem non dubitabis, quin dona, quibus me cumulasti, Homerus et Callimachus, longe mihi acciderint jucundissima; tum quod eximiis observatis Tuis libri sunt referti, tum quod mei immerentis or-

handi verbis elegantissimis nullam in iis Tibi sinis occasionem elabi. Pro tantis Tuis in me meritis quas possum grates ago maximas. Beneficiorum memori a Te benefactum intelliges quamprimum praela reliquerit Herodotus, quem (nisi ad Te suo nomine mittere librum maluerit Editor) a me accipies ἀντίδωρον. Principio conjecturas ferme tantum cum Wesselingio communicare constitueram; mutato consilio scribere coepi notas in singulas pagg. nonnumquam plus justo longiores, in quibus aevo Herodoteo proximos inprimis ad ejus phrasin comparo. Operae nunc occupantur in Lib. VI. In libros 7, 8, vel 9, Tu si quid habes exquisitius, ut habiturum Te confido, quod meis observatis intertextum non nolis, id quaeso Te mecum communica. Libenter mea quoque misissem si desiderasses in Callimachum observata, qui poëtam illum olim non indiligenter tractaveram: eorum partem tum a Te tum ab amicis aliis in hac Tua Editione splendidissima occupatam vidi, κὴ τὰς Μούσας, ὄμματι μὴ λοξῷ. Qui pleraque Tua probavi, non miraberis si, ut sumus homines, in nonnullis paulo aliter sentiam. Quid vero vetat paucis Tecum, dum haec charta vacat, φιλολογεῖν.

H. in Iov. v. 34. Κευθμὸν ἔσω Κρηταῖον ut rarius mihi hic a Novatore positum videbatur; ut h. Dian. v. 70, Δύνει ἔσω κόλπους. Ναοὺς ἔσω, Eurip. Iphig. T. v. 470. ut ἐς pro ἔσω, pro ἐς adhibent ἔσω.

— v. 79. Tecum vitium haerere credidi in Διός, — vide placeatne, ἐπεί γ' ἴδες οὐδὲν ἀνάκτων Θειότερον; quae Lennepii nostri fuit conjectura, ingeniose corrigentis h. Apoll. v. 73, γ' ἐμὰν ἄστυ Κυρήνης.

— v. 87. Vestra, miror, magnorum virorum judicia: τά κεν ἦρι νοήσῃ quantilla est mutatio?

Hym. in Apoll. v. 40. scribendum arbitror ζευγίτιδας· ut

H. in Dian. v. 15, *χορίτιδας* pro *χορήτιδας* et *ζευγήτιδας*.

— v. 28. Pace Tua, nondum displicet *Λέχρις ἵνα ψαύσειε* barbam puella patris tangere tantum est conata: ridet Iupiter irritum conatum manus extendentis quantum extendi poterant.

— v. 136. *ἐμοὶ φίλος ὅστις ἀληθής*· Eurip. Hippol. v. 927. *Ὅστις τ' ἀληθής ἐστιν ὅστε μή, φίλος.* Suppl. v. 867. *φίλος τ' ἀληθὴς ἦν.*

— v. 166. legebam *Ἐν δὲ χ.* v. 173. *Ἡ Πιτάνῃ*· v. 218. *Οὔ μιν ἔτι κλειτοί*, v. 263. *ὀλίγῳ ἐπ' ἐκόμπασε μισθῷ.*

H. in Lav. Pall.

v. 33. *πάρα* scrib. pro *πάρεστι.*

v. 34. Dudum mihi persuasi veram lectionem esse *Ἀρεστορίδᾶν.*

v. 108. placetne *ἓν μόνον εὐχόμενοι;*

H. in Cer.

v. 71. potius spurium esse, quam praecedentem, dudum Tecum senseram.

v. 94. mea quidem opinione scribendum *μοῦνον ἔλειφθεν*· hoc tantum admisit usus: agnovit et D'Orv. p. 255. mirorque adeo etiam in hoc Carmine ter legi *μῶνος*· *μῶνοι*· *μόνον*· *Μοῦνος* invenitur et in reliquiis Doriensium. ex *μόνος* ortum *μοῦνος* Dorice non mutabatur in *μῶνος*, ut neque *νόσος*, *νοῦσος*, in *νῶσος*. eadem est in similibus ratio, scribiturque recte in hoc Dorico hymno bis *πουλυμέδιμνε.*

Versus isti quinque, quos nobis dedit acutissimus Bentlej. fragm. CXLV. ut Callimacheos, omnes sunt a fraudatore Iudaeo, Aristobulo isto conficti, aeque ac Homerici quatuor, unus de Hesiodeis: ex Aristobuli commentariis in leges Moysis quae illic tradit de diei

7. sanctitate transscripsit Clemens Alex. alia quoque non pauca.

Lectiones Cod. Lipsiensis, Scholia, sed Tua praesertim in Homerum observata mihi perplacuerunt. Vale, vir Celeberrime, meque Tuum ama. Dabam Franequerae, VIII. Kal. Aug. MDCCLXI.

EPIST. XVIII.

VIRO CLARISSIMO

I. O. A U G. E R N E S T O

S. P. D.

SAMUEL MUSGRAVE, ANGLUS.

Quod in omni re vel cum amicis et familiaribus transigenda exoptare solent homines, ut eos neque negotiis occupatos neque ullo modo curis aestuantes offendant, mihi ad Te scribenti, peregrino scilicet atque ignoto ad Hominem Perillustrem, non modo exoptabile sed ut arbitror plane etiam necessarium est. Nisi enim temporis opportunitas meam importunitatem quoddammodo obtexerit, video mihi et hujus incepti fructum et fortasse etiam veniam periisse. Quod si liberum Te alioqui et vacuum consecutus fuero, eam spem et de humanitate Tua et de studio in Literis promovendis concepi, ut in qua re adjuvari a Te cupio de Tua voluntate minus sim dubius. Est autem hujusmodi. Edidit Librum duobus abhinc annis, Lipsiensis, ut puto, Io. Iac. Reiskius, in quo mentionem fecit Editionis cujusdam Euripidis Operum apud Pet. Brubachium impressae, atque ex ea

locum in Supplicibus, quem mancum atque imperfectum cum Aldina, tum omnes deinceps Editiones exhibent, duobus tribusve versibus restitutis supplevit; ut magna spes sit multa depravatissimi Auctoris loca ex hoc codice emendari posse. Sed cum de eo quaerere inciperem, inveni neque extare eum vel in Bibliothecis Oxoniae instructissimis, vel in Leidensi; neque in ullo Catalogo, neque apud Fabricium, neque ab Editoribus Euripidis mentionem ejus factam. De qua re Familiaribus quibusdam meis oborta est suspicio, cum quia hujus Editionis nullum invenerant vestigium, tum vero quod versus ex ea restituti neque digni videbantur Euripide, neque ductui orationis valde accommodati, totam rem commentum esse, versusque ut fidem ei conciliarent confictos. Pudet referre suspicionem tam odiosam, tam foedam, tam indignam praesertim qua Homo Eruditus laboraret. Quare ut me nullo modo abripi ea opinione passus sum, ita vix habui quod respondere possem, coactusque sum nonnihil vel argumentis eorum, vel scrupulis tribuere. Mei saltem intererat suspicionem hanc aliquo modo vel confirmatam, vel exemtam habere, quippe qui Editionem ejus Auctoris duobus abhinc annis molitus eram, ejusque operis specimen anni jam proxime elapsi initio Oxoniae edideram, non mediocri labore ex Collatione MSS. Parisiensium emendatum; quod nescio an ad Te pervenerit; sin minus, quam primum data erit occasio, curabo transmitti. Quod restat, orandus mihi es, si id commode fieri poterit, et sine nimia Viri Eruditi offensione, ut de ea Editione quaeras, eamque oculis usurpes; ut cum Tua fide certam rem comprobatamque habuero, quaeram eam diligentius; sin dilabatur quod exinde spero adjumentum, saltem ne moretur me inutilis ejus expectatio. Vale, Londini Aprilis 15°. 1757.

Vous pouvez adresser quelque Lettre, que vous me ferez l'honneur de m'ecrire

To Mr. Musgrave
to be left at Mr. Wilcox's
Bookseller in the Strand
London.

EPIST. XIX.

IOA. AUG. ERNESTI

VIRO CLARISSIMO

S. P. D.

SAMUEL MUSGRAVE.

Literas Tuas cum gratas jucundasque fuisse dico, minime pro ratione voluptatis quam in iis legendis percepi dictum esse intelligas; nam et adjumentum libri veteris, de quo frigida tantum spes erat, jam mihi oblatum et prope praesens in manus traditum esse videbam; Tuamque in verbis comitatem aequioris in me vel voluntatis vel opinionis indicium esse existimabam. Quae res cum ad animum non mediocriter commovendum plane sufficerent, tamen et tertium quiddam iis, paris fere momenti, accedebat; quod scilicet eodem tempore et Tua mihi Humanitas adeo insignis perspecta est et data est occasio aliquam quoque meam diligentiam in Tuis commodis procurandis demonstrandi. Itaque quam primum potui, ASKEUM, ut ab ipso incipiam, conveni; qui mihi confirmavit se Varias Lectiones in Callimachum ideo non misisse, neque vero mittere potuisse, quod in trajectu in Angliam omnes una cum navi peri-

rant. Is porro, an Aeschylum adhuc edere cogitet, non comperi; satis persuasum habeo nunquam editurum. Libros, quos velle Te dixisti, omnes fere apud Bibliopolam inveni; Historiae Aug. Scriptores ap. Iuntam, et Rhetorica Ciceron. ap. Ald. Anno 1521. desiderabantur; nec quidquam praeterea. Quanquam et Rhetoricorum duae Editiones Aldinae ibidem prostant; sed annis diversis, sc. a. 1514 et 1533. De Editione Orationum nonnulla dubitatio est, an ea sit quam te nolle dicis, necne. Desinit in pagina dextra vel impari; dextram dico, quae apertum librum inspicienti ad dextram est; imparem, quae impari numero signatur. Ejus paginae duas tertias occupant Typi. Caeterum paginae magna pars deperdita est, ita tamen ut ab interiori parte digitus vel digitus cum dimidio (pouce et demie) vacuus et purus infra conclusionem Operis appareat; nec ullum sit istorum versuum vestigium. Tu ex hac descriptione vere fortasse de libro conjicies. Editio Rhetoricor. Philosoph. et Orat. Mediolani impressa integra est, sed Bibliopegi Operam desiderat, ut mundetur; quod resectis marginibus satis commode fieri poterit. Aristophanis Editio Venetiae ab Aegidio quodam Gormontio excusa est; magnae ut a Ruhnkenio audivi auctoritatis. Illam itaque Tibi ut reservaretur curavi. De Brubachiana Editione magis sollicitus sum ut tuto quam ut cito deferatur; quare id quoque ne, oro, negligas. Ei adjungas velim, si modo indagando invenire poteris, versionem quandam Euripidis satis elegantem Basileae apud Rob. Winter A. D. 1541 excusam, forma 12mali; vel priorem ejus Tomum, posteriorem enim possideo. Variae Lectiones MSSorum Euripidis, si quae ad manum sunt, omnes pergratae erunt; multoque magis, si ipse Codicem nactus, conferendi laborem suscipere volueris; modo ne

sit trium, quae primae veniunt, Tragoediarum, quarum MSSos, nisi si quis valde antiquus sit et ab editis insigniter discrepet, non magni aestimo. — De pecunia tum demum agemus, cum de perantiquâ illa Orationum Editione quid Tibi visum fuerit, scripseris; scribas autem rogo quam primum poteris; cogito enim in rus sub aestatis finem. Callimachus Tuus quo in statu sit si indicaveris, gratum mihi feceris; nam plura volenti quaerere nec tempus nec charta credo suppeteret. Vale. Londini. Maji 13°. 1757.

EPIST. XX.

IO. AUG. ERNESTI

VIRO CLARISSIMO

S. P. D.

SAMUEL MUSGRAVE.

Quod Tibi de antiqua Editione Ciceronis Orationum proximis literis mandavi, nempe in qua pagina, paginae vero in qua parte desineret, in eo consecutus sum fortasse, ut eam ab altera illa Editione quae in fine versus istos habet, posses vel internoscere, si diversae impressionis sit, vel cognoscere, si ejusdem: illud non item, ut inspecta quavis Editione, ilico certum haberes an ejusdem Formae esset, necne. Itaque ut mancum ab hac parte officium aliquo saltem modo integrum redderem, ex quatuor prioribus paginis descripsi infimum cujusque versiculum; eosque Oxoniam misi, conferendos cum Exemplaribus, quae in publicis Bibliothecis ibi reponuntur, ut ex hac collatione liquido scire possem, cujus Typographi et

Formae esset ea de qua tu quaesiveras. In quo spem meam exitus rei fefellit; nullibi enim inveniebatur. Cum igitur et aliis indiciis et ipsa Typorum figura revera perantiquam esse existimarem, non putavi dimittendam esse occasionem, quae mihi a Christ. Gott. Seyffert, Lipsiensi, alterum jam mensem Bibliopolae negotium Londini exercente, oblata est, totum Librorum fasciculum commode atque ut spero nullo vel levi tuo sumptu Lipsiam transmittendi. Pretium omnium ipse solvi; quod mihi, cum libuerit et commodum erit, per Tho. Wilcox, Bibliopolam meum, curabis. Assurgit autem ad 4 Libras 13 eschalinos monetae Britannicae. Isocratis primum volumen Cantabrigiae editum in eo fasciculo invenies; posterius eodem edente nuper prodiit; id ergo per Bibliopolam quemcunque facile comparare poteris. Demosthenis Tayloriani volumen aliud, diu expectatum, tandem absolutum esse non invitus, credo, audies. Porro monendus es, hunc Fasciculum non Wendlero sed Fritschio adsignatum esse. Si quid denique in fine Hippolyti mei manu exaratum inveneris, intelligas velim et raptim scriptum esse et in magna Librorum inopia, loco et a meis Libris et a Bibliothecis, quae Londini nullae sunt, remotissimo. Vale et me ama. Londini, Iunii 3. 1757.

EPIST. XXI.

VIRO PRAESTANTISSIMO

IO. AUG. ERNESTI

S. P. D.

SAMUEL MUSGRAVE.

Epistolam Tuam, humanissime scriptam, sex abhinc mensibus accepi; cui ne maturius responderem, magna negotiorum varietas quibus deinde implicitus sum, effecit. Brubachium exemplar recte mihi a Seyfferto redditum est; ut et pecunia, quam pro libris solveram; serius vero utrumque, quia me ruri degente, ad ipsum Seyffertum utique pervenerunt. Editione illa quae Brubachio tribuitur nihil unquam mirabilius, in re quidem Literaria, memini me vidisse; sive ipsum Librum spectes, sive ejus Fortunam. Quid enim insignius, quam Editionem ab exemplari Aldino fideliter, nisi ubi Errores Typographorum intercesserint, expressam uno tantum in loco discrepare, ibi vero emendationem tam eximiam exhibere; neque interim de illius Emendationis origine quidquam proditum esse. Deinde cum Fortunam ejus, delitescentis tot annos, contemplor, nescio annon major mihi inde admirationis causa existat; neque extricare me ullo modo, nisi hac suspicione, possum, scilicet nunquam pro Editoris consilio absolutum fuisse neque ideo in publicum editum; quae autem exempla ejus, numero perpauca, habemus, ex officinae Librariae manibus furtim evasisse. Ad novam Euripidis Editionem serio jam animum coepi advertere; eaque ut spero in-

eunte Hyeme inchoabitur; de forma et pretio, nondum mihi constitutum est. Reiskii notas in Euripidem non nisi duabus abhinc septimanis vidi; dedit in iis multa ingenii specimina, sed plura audaciae. In Anthologia nova multo felicior est. Tui Callimachi expectatione jamdudum ardeo; non modo ut admirabilis Tui ingenii contemplatione delecter, sed ut Te etiam in edendo exemplum habeam. Vale Vir Eruditissime meque ama. Londini, Maji primo 1758.

EPIST. XXII.

IO. AUG. ERNESTI

VIRO CELEBERRIMO

S. P. D.

FR. V. OUDENDORP.

Haud levem mihi pudorem injecit hodiernus tuarum litterarum, quas praecedentis anni mense Octobri ad me dedisti, conspectus. Illae mea memoria vel potius animo penitus exciderant. Quod tamen ne existimes, quaeso, vel negligentia vel minore, quam decet, tui observantia factum. Sed quod eo tempore, quo noster Ruhnkenius in Gallias abiturus eas mihi tradidit, domesticis, quaeque nihil cum studiis nostris commune habent, negotiis occupatissimus illas seposui, ac per continuos aliquot dies districtior de iis haud cogitavi. Sic aliis interim suborientibus rebus, et accedentibus quotidianis laboribus elapsi sunt aliquot menses, per quos in meis scriniis jacuerunt elegantissimae Tuae, simulque amicissimae (confiteor, hu-

manissime Ernesti, et confiteri pudet) litterae. Idcirco quum mihi, aliud tamen agenti, nunc in manus inciderint, protinus calamum arripui, seram, quam nullam responsionem praestare existimans, dum meam excusationem a Te in bonam acceptum iri partem spero, precorque.

Maxime mihi placet consilium, quod de recudenda augendaque Latina Fabricii Bibliotheca librario Heroldo dedisti, ut varios viros doctos, qui Symbolam ei rei conferre vellent, rogaret; dum te, quo magis idoneus est nemo, universo operi praefectum iri suspicor voveoque. Nec, quo minus in me suscipiam Caesaris, Lucani, Frontini et Appuleji, forsan et aliorum, Editionum recensionem, recuso; sub ea tamen conditione, ut tot totius libri exempla recipiam, in quot Auctores Editionum Indicem composuerim; et ut accurate mihi definiatur tempus, quo Indices illi cum librario, vel tecum, quod malim, communicandi sint. Nam ante aestatem et Academicas ferias illos aggrediendi mihi non erit facultas.

Ut tuam doctissimam meae Suetonii Editionis Recensionem in Lipsiensibus Actis ad reliquorum Imperatorum Vitas (quod, ni fallor, pollicitus eras) extendere velis, etiam atque etiam precor. Gratissimum mihi feceris, et eruditos lectores egregie demerueris. Quae impedit caussa, quo minus ad hujus urbis vel regionis librarios venum non mittatur Graeca ex Reitzii Editione Anthologia? In Latina digerenda et illustranda totus nunc est noster Burmannus; quod, credo, scies. Vale, Vir Optime, meaeque innocenti dilationi, tarditative ignosce, ac mihi favere perge. Leidae Kal. Aprilis MDCCLV. P. S. Frustratur me ducitque Cl. Gorius non mittendo Florentinas MSS. Appuleji Collationes. Si quid juris vel auctoritatis in illum habeas, impellas eum ut fidem impleat, rogo.

EPIST. XXIII.

VIRO CELEBERRIMO AMICISSIMOQUE

IOH. AUG. ERNESTI

S. P. D.

PETRUS BURMANNUS.

Hodie demum fasciculum librorum diu exspectatum me accepisse nuntio, Ernesti Celeberrime, in ipso discessus mei ex urbe articulo, dum crastino mane in villam cogito prope Leidam, ut ferias aestivas illic transigam. Hoc ipso die nummos tradidi in manus mercatoris ex praescripto literarum Sandrartii. Itaque re hac confecta gratias iterum meritissimas tibi ago pro opera mihi praeclare hic praestita, meaque officia tibi promtissime offero, si quid his in terris curatum velis. In auctione Menckeniana si qui libri rariores, ut puto, se mihi offerent, tibi proximis literis significabo, nisi nimia libertate tibi molestus sim. Heri ex Auctione Meadiana apud Londinenses habita accepi inter alios praeclarae et rarioris notae libros tria volumina ineditarum N. Heinsii Epistolarum, quibus multa continentur ad veterum Auctorum emendationem et varia ejus Itinera spectantia. Catalectis meis tandem operae typographicae manus admoverunt, et brevi forte iis etiam dabuntur Rhetorica ad Herennium cum ineditis Graevii notis et MSStorum Collationibus nuper mihi vindicatis. Quibusdam amicis quum hac ipsa hora mihi adhuc valedicendum sit, abrumpere cogor. Itaque vale, Ernesti Eruditissime, meque inter primos eximiae doctrinae tuae cultores numerare perge. Dabam Amstelaedami d. XXII. Iunii MDCCLV.

EPIST. XXIV.

VIRO CLARISSIMO ATQUE LITERATISSIMO,

ERNESTI,

elegantiorum Literarum ap. Lipsienses Prof. P.

S. P. D.

IO. IACOB. BREITINGERUS,

Ling. graec. apud Tigurinos Prof. et Canonicus Capituli Carolin.

Ex quo Tuum, Vir Clarissime, ingenium, Tuam doctrinam, Tuaque ad solidam eruditionem propagandam consilia ex publicis scriptis Te auctore editis accuratius cognovi, inde ego profecto Te tanquam hominem singulari Dei providentia ad restaurandas neglectas inter Germanos et fugientes prope elegantiores Literas natum factumque suspicere animo ac maximi facere coepi; nihilque habui prius aut antiquius, quam data quavis occasione publice privatimque testatum facere, quae sit Tua apud me existimatio et quantopere ea ratio, quam Tu adhuc in docendis bonis Literis sectatus es, mihi probetur: neque pauci inter disciplinae meae alumnos sunt, quibus Nomen Tuum sacrum ac venerabile est, quique in Literarum studiis non alium malint quam Te Ducem et Autorem sequi, atque iis praesidiis, quibus Tu studiosam Pubem hactenus liberaliter instructam esse voluisti, strenue ac percupide utuntur. Equidem jam aliquoties animo destinaveram prolixam meam in Te voluntatem per Literas declarare, et quo amore Te Tuaque complectar, significare; sed quotiescunque hoc agebam, protinus subiit animum cogitatio, quae hunc

impetum fregit, meque ab incepto retraxit, quasi Tu scilicet magnopere cures, quanti a me fias, aut quo Tu apud Breitingerum loco habearis. Nunc vero hanc meam dubitationem precibus suis expugnavit, qui Tibi has offeret, Iuvenis Ornatissimus Io. Henr. Locherus, Venerandi apud nos Theologi ac Collegae conjunctissimi Zimmermanni privignus, Politices studiosus: Hic ad vos iter ingressurus me convenit, utque sibi ad Clariss. Ernesti, quem toties tanquam singulare non tantum Lipsiensis Academiae, sed universae Germaniae literatae Decus a me laudatum meminerit, commendatitias aliquas Literas concederem, quae faciliorem sibi aditum pararent, rogat: Et quanquam varia, quae me nunc ab hoc officio praestando retinerent, fueram commentus, atque etiam non obscure significassem, parum ipsi apud Te profuturam meam commendationem, utpote ab homine profectam, qui ipse prius aliqua commendatione apud Te indigeret: nihil tamen ille rogando remittere, sed multo acrius instare coepit, caussatus, fieri non posse quin Litterae meae apud eum Virum, quem ita ex animo colerem et a singulari virtute ac humanitate toties commendassem, magno sibi futurae sint adjumento. Qua ex re intelligis, Vir Clarissime, quanti mea, atque etiam Tua, referat, ut huic meae commendationi eum locum concedas, quem concedere soles illis, quae ab hominibus bene de Te meritis atque aliqua necessitudine Tibi conjunctis proficiscuntur. Et quum ipse, quem Tibi ita diligenter commendo, hac mea commendatione nihil aliud impetrare studeat, nisi ut Tui inter praecipua Lipsiae ornamenta videndi copia detur, atque a Te ad sermones admissus humaniter excipiatur, ad quod nulla opus haberet commendatione: fer me amplius quid rogantem, quod sine Tua molestia fieri possit et in quo non aliae Tuae sunt

nisi praecipiendi partes, nimirum ut aliquis eorum, qui Tibi operam dant, eam rationem, quam Tu in docenda Graeca Lingua et in explicando Xenophontis libello in studiosae juventutis commodum abs Te edito sequi amas, singillatim expositam mecum communicare velit: In quo si velis ac possis desiderio meo satisfacere, magnam a me inibis gratiam. Vale, Vir Clarissime, *καὶ τὴν ἐμὴν παῤῥησίαν εὐμενῶς δέχου.* Scripsi Tiguri Helvetiorum ipsis Non. April. A. R. S. MDCCXLVI.

Primam Musei Helvetici particulam, quam Vener. Zimmermannus et ego instruere aggressi sumus, et quam idem Locherus Tibi meo nomine offeret, benigne et aequo animo excipias velim.

EPIST. XXV.

OPTIMO ATQUE CLARISSIMO VIRO,

IO. AUG. ERNESTI,

Humaniorum Litter. apud Lips. Profess. digniss.

S. P. D.

IO. IACOBUS BREITINGERUS.

Quanquam ex lege vaferrimi poëtae etiam atque etiam adspiciendum sit, quem cui commendes, et hanc reverentiam tuae humanitati deberi censeam, ut ea non sit promiscuis commendationibus profananda: ea tamen est Nominis tui apud nos celebritas, ut quicunque Literarum non omnino expertes de Lipsia vestra adeunda cogitationes suscipiunt, id primum sibi negotii datum esse credant, ut quacunque ratio-

ne sibi aditum ad Te parare, et quae summa votorum est, tui videndi ac compellandi felicitate perfrui possint. Et quandoquidem homines nostri sibi dudum persuaserunt, quum tanti a me fias, ut hac aetate non sit alius inter Humanitatis Professores, cujus laudi ac gloriae magis studeam, fieri non posse, quin plurimum ego apud Te gratia valeam; non cessant amici flagitiosis suis petitionibus me ita acriter et constanter obtundere, quoad expugnato pudore meo aliquid ad Te literarum mihi extorserint. Quo in numero est is, qui hasce Tibi redditurus est, Vir juvenis spectatae probitatis, sacri Ministri candidatus, Holzhalbius, qui iter literarium ingressus mirifico celeberr. Germaniae Doctores, atque in his Te inprimis, videndi studio ardet. Hic in praecipuae felicitatis suae parte numerabit, mihique insigni beneficio se devinctum agnoscet, si tantum abs Te impetraverit, ut eum vel tralatitia parte favoris et humano alloquio fueris dignatus. Is vero Tibi meo nomine, et in grati ac devoti animi testificationem offeret II. III. et IV. Particulam Musei helvetici; primam enim, si recte memini, superiore anno Locherus nostras in manus tradidit. Vale, Vir Clarissime, et ignosce παῤῥησιαστῇ. Dabam festina manu Tiguri Helv. prid. Kal. Maj. A. R. S. MDCCXLVII.

Egregiam Stieglitzii Dissertationem de Fide hist. recte aestimanda Te Praeside propositam recte accepi, ejusque muneris Tibi gratias habeo.

EPIST. XXVI.

VIRO CLARISSIMO ATQUE LITERATISSIMO,

IO. AUG. ERNESTI,

S. D. P.

IO. IACOBUS BREITINGERUS.

Quum mihi non perinde sit, quo animo erga me sint affecti Viri de optimarum Litterarum studiis supra eruditorum vulgus recte sentientes, deque iisdem promovendis praeclare meriti, hoc est Tui similes; proclive Tibi erit vel ex proprio animi sensu conjecturam facere, quam jucundae mihi fuerint binae illae Litterae Tuae, quibus me praeter omnem exspectationem beasti: Quarum priores jam ante biennium exaratae, sed per imprudentiam non transmissae, hactenus me de Tua voluntate anxium ac sollicitum spem inter metumque suspensum tenuerunt; nunc autem prolixa ac liberali significatione Benevolentiae ac Amicitiae Tuae, qua me dudum fueras complexus, ita exhilararunt ac confirmatum reddiderunt, ut jam paene non sentiam, eas non suo tempore mihi esse redditas: Alterae vero illum incuriae errorem, quo factum est, ut tam longo tempore suavissimo Amicitiae Tuae usu fructuque caruerim, adeo diligenter ac sollicite excusant, ut non possint majore studio magisve ex animo culpam deprecari, etiamsi Tu mihi sciens prudensque iniuriam aliquam intulisses, aut Ipse magnum aliquod ex hac beneficii Tui dilatione dispendium passus esses. Equidem diffiteri non possum, per totum illud tempus, quoad diserta aliqua liberalis Tui in me animi significatione carui, variae animum meum subierunt atque excruciarunt cogita-

tiones: non defuerunt tamen etiam argumenta, quae me interdum ad meliores spes revocarent: Ego enim nunquam animum meum inducere potui, ut mihi persuaderem, Clariss. Ernesti ita morosum ac difficilem esse, ut possit mentem omni studio ac pietate sibi deditam, qualis mea inde, ex eo tempore fuit, ex quo praeclara Tua defoecati ingenii et acerrimi iudicii monumenta cognoscere ac admirari datum est, aspernari prorsus atque repudiare: Quinimmo et ipse Locherus noster ex itinere redux non sine grati animi testificatione mihi confirmavit, meam commendationem magnum apud Te pondus habuisse: Et quum deinde illa de Fide historica Dissertatio, quanquam sine ullis Tuis litteris, ad me esset delata, et ipsa quoque mihi fidem fecit, Te non penitus omnem mei memoriam deposuisse: Huc accessit, quod circa Septembrem anni MDCCXXXXVI quidam ex disciplinae Tuae alumnis, qui Mercatori nostrati operam suam locaverat, ad has oras nostras delatus, quum per semestre fere spatium, quo apud nos diverterat, aliquoties apud me viseret, inter alios de Te sermones confidenter affirmavit, Breitingerum esse aliquo apud Te loco. Idem vero ille homo, cujus nomen jam non succurrit, me et Bodmerum meum, qui Tibi mirifice favet, haud leviter perculit tristi nuntio de gravissimo quicum sub tempus discessus sui fueris conflictatus morbo, ut nos de salute Tua parum sperare juberet: a quo Te autem, quae singularis dei benignitas est, jam superiore aestate ita recreatum ac confirmatum fuisse scribis, ut praeter ejus memoriam nihil ex illo malo reliquum videatur: de quo Tibi, magis autem communibus Litteris, gratulamur, atque ut ea felicitas perpetua sit, ex animo precamur: Quantum enim ad publica commoda intersit Te valere atque nobis superesse, novo

documento testatum faciet luculenta Suetonii editio, quam jam carceres mordere et ad me viam affectare scribis; quod ego munus cupide amplector, quanquam non habeam, quo digne modo pro hac Tua liberalitate gratas vices rependam: Dedi tamen Heideggero in mandatis, ut per Bibliopolam, qui Lipsiae res ejus curat, Tibi exhibeatur exemplum ejus Epistolae, quam nuper ad Eminentissimum Card. A. M. Quirinum de antiquissimo Turicensis Bibliothecae graeco Psalmorum Libro scriptam publicavi.

Quod autem Tibi, Vir Clarissime, visum est in Tuis ad Suetonium animadversionibus meam de Tessellatis et Sectilibus, eorumque inter se et a Musivo opere discrimine opinionem pro Tuo jure medeste rationibus confellere, atque contra me pro Salmasii Graeviique sententia pronuntiare, multum omnino abest ab ingenio meo, quemadmodum recte Tibi persuades, ut docto hoc Tuo dissensu offendar, ut potius beneficii loco reputem, meam hanc disputatiunculam, tanquam non omni probabilitatis specie destitutam, dignam Tibi visam esse, quam examini subiiceres et ad limatissimi judicii Tui trutinam expenderes: In eo vero etiam singularem animi Tui aequitatem admiror ac gratus agnosco, quod integram adhuc caussam ad me deferendam censuisti, ut justae defensioni locum concederes: Qua ego nunc, quod pace Tua fit, sic utar, ut intelligas, me non libenter a judicio Tuo dissidere. Gottschedii Rechenbergiique quas memoras ineptias oratorias nunquam vidi: Desidero autem aliam Gottschedii praelectionem, qua priscae teutonicae Poëseos sub Fridericis rationem more suo exposuit: eam quidem Clariss. Kieslingius, si ejus aliquod exemplum nancisci possit, ad me missurum recepit: modo id ne fiat per

tabellarium publicum; vix enim tanti est. Vale, Vir Clarissime, mihique favere perge. Scrips. Turici Helv. ipsis Kal. Mai. MDCCXLVIII.

EPIST. XXVII.

VIRO CLARISSIMO ATQUE HUMANISSIMO,

IO. AUG. ERNESTI,

S. D.

IO. IACOBUS BREITINGERUS.

Dici non potest, quantopere fuerim delectatus auro contra caris Literis et muneribus literariis, quibus me beatum reddere voluisti, et quae tanto mihi fuerunt jucundiora, quod essent a Te profecta, cujus ego doctrinam, eloquentiam et subactum in omnibus judicium, quo penitius in dies cognosco atque perspicio, eo magis admirari soleo. Atque oppido ea ratio, quam Tu in enarrandis Graecis Latinisque autoribus praeferendam censes, quamque in Tuis Literis et in luculenta ad Suetonium praefatione pluribus exponis, valde mihi probatur; neque intelligo, quae alia excogitari possit ratio huic Tuae anteferenda: inprimis si, quod Tu Te facere in antiquorum Scriptorum interpretatione profiteris, proprius cujusque orationis habitus, et quae in rebus ipsis vel explicandis vel illustrandis artis esse cognoscuntur, scienter ac dextre exposita tradantur; maxime vero si ea quae nativo quodam lumine, venustate, acumine aut alia quacunque virtute animos in legendo retinent, demulcent, percellunt, aut in admirationem rapiunt, ita acute expendantur, ut simul pa-

tescat, et e quibus fontibus ea fuerint hausta atque profecta, et quamobrem tantam in animos vim exerceant, semperque cum delectatione conjuncta sint: Ego enim in his summam Artis, praecipuumque, qui quidem ex lectione veterum percipi possit, fructum repositum esse, judico: contra semper sterilis mihi visa est illa Critices exercitatio, quae infra haec, in solo de vera lectione judicio subsistit, neque digna, quae ab omnibus tanto studio excolatur, quum pauci quidam huic labori possint sufficere, quo caeteri deinceps omnes perfruantur, qui ad veram in Literis Sapientiam aspirant, et ad formandum firmandumque ad exquisitissimas Literarum lautitias cupediasque gustum acuere satagunt. Praeterea multum ego antea miratus sum, qui factum sit, ut in novissima editione elegantissimi Libri Tui, qui initia solidioris doctrinae complectitur, fidem de adiiciendo Rhetoricae institutionis aliquo compendio publice datam, atque adeo omnium exspectationem fueris frustratus; quum tamen eum librum nova Philosophiae naturalis accessione locupletaveris: Id vero nunc desino mirari, atque veram ejus intermissionis rationem mihi perspicere videor, postquam ex Tuis ad me Literis cognovi, Te usu compertum habere, non aliam invenili aetati magis accommodatam rationem esse, qua quid de quaque re et quomodo dicendum sit, felicius cognoscatur, quam per exempla probatissimorum autorum, si quidem critico judicio expendantur: Quod ego ita esse, idque usu quoque edoctus, prorsus Tecum facio; ut enim de eo nihil dicam, quod frustra illis praecepta de conquirenda dicendi materia suggerantur, qui rem de qua dicendum est, aut nullo modo aut non recte habent exploratam: hoc tamen omittere non possum, supervacanea mihi prorsus, et plus nocumenti, quam utilitatis afferre videri, quae de elocutione praecipi

solent, quoniam, quod unum tamen omnem orationis vim atque elegantiam comprehendit, quis quocunque in loco modus sit adhibendus, praeceptis tradi non potest: atque qui e rhetorum scholis exeunt, similes mihi videntur, quasi si coquus aliquis varia quidem in promtu et ad manus habeat condimenta, quid vero quantumve huic vel illi edulio parando conveniat, nesciat. Et quid tandem, nisi sapias, inanis praeceptionum cognitio efficere possit, ne longius exempla repetam, infausti illi Gottschedii Rechenbergiique abortus satis ostendunt, quas muneribus Tuis tq. retrimenta quaedam, ut masculam scholae Tuae eloquentiam in nobiliss. Dani exemplo magis illustrarent, callide adiecisti: etenim illae artis praeceptiones, quamvis Sapientiam in dicendo aliquantum dirigant, ipsum tamen Sapere conferre nemini possunt; hoc vero, si Horatium audias, scribendi recte est principium et fons.

Neque possum non laudare illud Tuum institutum, circa delectum autorum, qui priscam ac genuinam elegantiam Atticam referant exprimantque; in quo consilium, omni tempore atque in omni re a sapientibus probatum, ut optima quaeque ad imitandum proponantur, prudenter sequeris. Mihi vero hac in parte usu venit, quod passim in vita solet: Video meliora proboque, deteriora sequor; obstant enim tum scholae leges, tum auditorum imbecillitas ac oscitantia, quo minus hac in re meo uti possim consilio. Hactenus qui ante me huic docendi muneri praefuerunt, in solo Plutarchi περὶ παίδων ἀγωγῆς libello, et insipidis quibusdam Chrysostomeis flosculis tumultuarie decerptis substiterunt: In eo autem quod nunc concinnare audeo Graecae lectionis subsidio, in quo masculae interpretationis tirocinia po-

nant adolescentes, qui prima N. T. lectione absoluta nobis operam dare solent, potior argumenti quam dictionis habenda fuerat ratio, et non omnino licuit meum mihi gustum consulere: constabit autem isthoc subsidium 1) Luciani *περὶ τοῦ ἐνυπνίου.* 2) Cebetis tabula. 3) Isocratis *πρὸς Δημόνικον λόγῳ.* 4) Plutarchi *περὶ τοῦ ἀκούειν*, et 5) Theophrasti characterismis: Caeteris autem, qui maturioris aetatis sunt, Platonis quaedam et Xenophontis *ἀπομνημονεύματα* in manus trado; quibus ejusdem *Κύρου παιδείαν* adiici cuperent, sed a Te recensitam ac castigatam. Et quoniam de Graecae institutionis ratione hic Tecum ago, patere V. Cl. ut quid Tu de accentuum aspirationumque signis usuque sentias, requiram.

Quum aliud quid attentione Tua dignum non suppetat in praesentiarum, per Heideggerum ad Te his nundinis curabitur exemplum libelli, quo Bodmerus (qui Te, animumque illum, quem in superioribus Tuis ad me literis ostendisti in hunc Virum propensum et liberalem, magni facit:) conjuncta mecum opera Specimen Poëseως Teutonicae Seculi XII et XIII e Codice regio Parisiensi exhibemus: Ex hujus libelli praefatione intelliges, quam opportuna nobis erepta sit occasio justae in Gottschedium animadversionis, tantum quod ejus praelectio de poëseως Teutonicae fortuna sub Fridericis adhuc a nobis desideretur: nondum tamen in portu navigat, nisi forte cavere possit, ne ullum unquam praelectionis suae exemplum ad nos deferatur. Proxime autem recentem e proelo a me exspectabis Cl. Hagenbuchii commentarium in Diptychon consulare Boethianum seu Brixiense, qui sumtibus Emin. Praesulis Quirini ap. Heideggerum typis exscribitur. Posteriores

Tuas de tessellatis et sectilibus cogitationes avide exspecto: parum autem id curo, ut docti de nostro hac in re vel consensu vel dissensu certiores fiant: pluris mea referre censeo, ut cognoscant, et quanti Te faciam, et quod mihi aliquem in Tua amicitia locum concedas. Vale V. C. et nos ama. Scripsi Turici Helvetiorum ipsis Non. Sept. MDCCXLVIII.

De Tuis ad Suetonium excursibus proxime quaedam perscribam.

EPIST. XXVIII.

VIRO ERUDITISSIMO, CELEBERRIMO,

IO. AUG. ERNESTI,

S. D.

IO. IACOBUS BREITINGERUS.

Quum in praesentiarum non suppeterent, quae ut nostri ingenii fructus ad pium ac gratum adversum Te animum declarandum, et refricandam nostri apud Te memoriam, Mercatoribus ad Vos commeantibus perferenda traderem; non aliud reliquum fuit, quam ut alienis opibus manus injicerem, quibus sarcinas, quas meo nomine ad Te deferrent, onustas redderem. Conclusi itaque in altero fasciculo unicum quod mihi erat exemplum amplissimae illius commentationis epistolicae, quam Cl. Hagenbuchius, novissime Canonici appellatione et insignibus, sed insignibus tantum, condecoratus, in Brixianum atque etiam Turicense, proxime repertum, Diptychon Consulare Em. Quirini auspiciis et sumtibus conscriptam publicavit, quae et ascititio splendore et reconditae eruditionis

ubertate et mirifica in consectandis argutiis diligentia, Te multis modis oblectare poterit, et quo genere Librorum ego nunc facile carere possum. Adieci deinde in altero fasciculo eius libelli exemplum, quo nuper Bodmerus (qui Te inter primos Germaniae Sapientes Viros mirifice colit et observat) atque ego priscae Poëseos Teutonicae luculentum specimen ex Regio Parisiensi Codice, qui in hoc genere unicus est, excerptum cum publico communicavimus. Utrumque hoc munusculum chartaceum ea lege Tibi dedico, ut intelligam, quid Tu de utroque censeas, atque etiam, si sine magno Tuo incommodo fieri possit, eam Gottschedii praelectionem, quam me vehementer desiderare in superioribus meis ostendi, quamque frustra hactenus a Cl. Kieslingio exspectavi, quam primum ad me cures perferendam. Quod superest, id unum ego Te etiam atque etiam rogo, ut eum animum, quem mihi hactenus praestitisti, porro integrum conservare, Tibique persuadere velis, neminem esse illorum, qui Te colunt et observant, qui id magis ex animo faciat. Vale. Turici Helvet. ad d. IV. Kal. April. An. MDCCXLIX.

Accipies V. Cl. utrumque fasciculum per eum, qui Heideggeri nostri res apud vos curat, Bibliopolam. Idemque alium Tibi fasciculum Walchio jun. Ienensi inscriptum tradet, quem velim primo quoque tempore recte cures, ut ad eum perferatur.

EPIST. XXIX.

VIRO CLARISSIMO, ERUDITISSIMO,

IO. AUG. ERNESTI,

S. D.

IO. IACOBUS BREITINGER.

Et recte ad me perlata esse et impense grata fuisse, quae superiore jam anno ad me dedisti munera litteraria, nisi tandem aliquando verbis testatum facerem, et in singula gratias agerem, nae ego merito ingratus Tibi viderer. Cognovi autem ex Plattnerianis illis orationibus, quae quantaque Tuae amicitiae non intermoriturae; ex Xenophontiis libellis Tuis auspiciis editis, quae Tuae doctrinae, Tuique exempli, ex academica vero Tua Prolusione, quae Tui ingenii, Tuaeque Sapientiae vis sit, eamque in his omnibus valde admiror. Maximopere autem delectabar illa Tua Prolusione academica, qua vulgi errorem non postremum, qui variis illudit partibus et omnem interpretationem dubiam et incertam reddit, ita profligas, ut omnem Hermeneuticam doctrinam ad unicum certumque, idemque necessarium principium revoces, a quo si discedamus, nihil obstat, quominus cuiusvis aegri somnia pro vero ac genuino alicujus Scriptoris sensu obtrudi nobis patiamur. Atque satis constat, quorsum prolapsi fuerint plerique proxime superioris aetatis Interpretes, qui superstitioso quodam in divina oracula affectu sibi aliisque persuaserunt, imminui sacrorum librorum dignitatem, si ad humanae artis praecepta exigantur, sublimiores et foecundiores esse divinae mentis sensus, quam ut iisdem

interpretationis legibus atque principiis constringi possint, quibus humani sensus cognoscantur —: Hinc novam commenti sunt Hermeneuticam sacram, novam Grammaticam sacram, novam Rhetoricam sacram, etc. quarum beneficio omnes fervidioris ingenii et luxuriantis imaginationis praestigias tantum non consecrarunt. Quapropter Tu, Vir praeclarissime, non possis vel ecclesiae, vel rei litterariae utilem magis et proficuam navare operam, quam pergas quo coepisti modo, quae vera ac genuina sit interpretandi ratio, docere; a qua praecipua divinarum humanarumque rerum cognitio pendet. Itaque jucundum fuit ex Tuis litteris cognoscere, Te id serio agendum suscepisse, ut id, in quo cardo rei vertitur, nim. Troporum et emphaticarum dictionum usum, ac de his judicandi solertiam certis legibus adstringas: quo in genere nihil est, quod qui Te norunt, non a Tua sagacitate exspectent. Velim autem hanc operam feliciter et inoffenso pede ita Tibi procedere, ne usquam in eorum odium incurras, qui solidae doctrinae lucem refugiunt, neque a se impetrare possunt, ut quod pueri didicerunt, senes perdenda fateantur: quorum hominum sanctas iras ipse commerui, quum nuper ausus sum argumenta illa, quibus Cl. Theologus Witsius, et cum eo e sacro ordine plures, *τῆς εὐλογίας*, qua sacra precum formula ab ipso Sotere dictata apud S. Matthaeum concluditur, auctoritatem et *γνησιότητα* stabilire satagunt, sub examen revocare. Bodmerus, qui Tibi mire favet, Teque etiam observat ac colit, nunc totus in eo est et mire fervet, ut divini illius epici poëmatis, quod MESSIAS inscribitur, excellentem dignitatem atque praestantiam omnibus modis commendet, quandoquidem cum ejus neglectu atque contemtu universae poëseως Teutonicae gloriam periclitari atque concidere

persuasum habet: quapropter etiam Kloppstockium ut hanc telam pertexat omnibus stimulis admotis sollicite concitat, nihilque in eo ornando ac fovendo reliquum facit. Putat enim hoc opere perfecto habituros Germanos in sublimiori poësi exemplum domesticum, quod omnibus in hoc genere et antiquis et recentioribus poëmatibus opponere possint.

Qui nuper in Actis erudit. germanicis part. CXVI. Cl. Hagenbuchii nostri Epistolas epigraphicas docte quidem, sed licentius, insectatus est, miros hominibus nostris ludos dedit: An fallor, si Cl. Reiskium ejus judicii autorem esse suspicor?

Quod si vero Tibi aliquando visum fuerit posteriores Tuas de Musivis, tessellatis et sectilibus cogitationes mecum communicare, eas velim Dissertatione epistolica comprehendas, quae commode possit Museo Helvetico inferri ac ita publice proponi. Caeterum ne inanes hae Litterae ad Te perferantur, adjeci fasciculum Litterarum plenarum bonae frugis, quas Bodmerus noster proxime typis exscribendas curavit. Vale, Vir Celeberrime, meque ama. Scr. Turic. ips. Non. Mart. MDCCL.

EPIST. XXX. *)

VIRO DOCTISSIMO ATQUE CLARISSIMO

I O. A U G. E R N E S T O

IOS. BARSOTTI S.P.D.

En tandem collationes **) Callimachicas, quas a quodam ex Bibliothecae Vaticanae ministris, ad quos hae collationes faciendae spectant, tandem aliquando extorsi: aetas codicum ubi in authographis inveniri potuit, adscripta fuit, et in Vatic.-Urbin. 145. ubi concordabat cum Vatic. 1691. adpositum fuit *idem*, ne eadem lectio repeteretur. Vidi ego ipse Codd. et optimum conjicio membranaceum, in quo plures sint antiquitatis notae; alii, ut puto, transscripti fuerunt; aetas membranaceo non est adscripta, sed major videtur chartaceis. Tu quidem, Vir doctissime, dicis te istud una vespera confecturum fuisse, nec ego dissentio; sed Bibliothecarii isti, tamquam canes venatici praedae, his lucellis inhiant, et ultro quaesita mora

*) Haec epistola adscripta erat schedae illi, in qua Ernesti notaverat loca, quorum lectiones cum Codd. comparari vellet, ut ipse dixit in praefatione ad Callim. p. 5. ad fin.

**) Has Collationes repetere non opus fuit, quoniam varias lectiones, in iis notatas, omnes vidi in Callimachi editione observatas. Adscribam tamen, quae de aetate Codd. in fine adjecta erant. Sunt autem haec: „MS. Vat. n. 36. in 4. Chartaceus, videtur esse Seculi XV. MS. Vat. n. 1379. in 8. Chartaceus, olim Fulvii Ursini, exaratus anno 1496. 3. Cal. Maias. — MS. Vat. n. 1691. in folio parvo. Membranaceus, eleganter exaratus circa finem quarti decimi Seculi vel initium XV. ex libris Epi. Bellunensis. — MS. Vat. - Urbin. n. 145. Chartaceus in 8. olim ex Bibliotheca Urbini Ducum, exaratus a Seculo XV."

pretium rebus addere contendunt. Itaque pro levi isto labore dedi triginta duos Iulios Romanos, qui faciunt istius vestrae monetae thalaros quatuor cum dimidio circiter, quam pecuniae summam nihil est quod labores, ut ad me transmittas statim; restitues quando occasio sese offeret.

Corsinius, qui erit hic per alios tres annos supremus ordinis mei moderator, salutem dicit tibi maximam, et de fragmento Callimachi acturum se pollicetur quando Pisas, ubi est lector publicus eloquentiae, revertetur; nam Romae aliis distentus curis nequit hisce studiis animum, ut optaret, adpellere: praeterquam quod illuc habet sua scripta et Bibliothecam ad haec peculi arem. Curam de Ciceroniano volumine non dimitto, nec dimittam. Editio Plotini est tantum Latina. Frater meus salutem Tibi dicit. Si quid novi, et si licet, gratissimum mihi erit audire. Egi cum Assemanno supremo Bibliothecae Vatic. custode de collatione accurata quam expetis Novi testamenti cum Codice illo nobilissimo, e quo Sixtus V. edi curavit versionem LXX. Itaque dixit requiri summam tercentorum Scutat. Rom. quae faciunt summam 150 aureorum, ut habeatur collatio accurata; nam debent transscribi etiam minimi apices. Addidit tamen, supervacaneam Tibi prorsus esse hanc impensam, quum typis impressam tibi comparare possis vel alteram collationem factam a Matthaeo Cariophilo jussu Urbani VIII. et Romae impressam, vel alteram cura et impensis C. Milii Angli, et Londini editam: eae enim ambae sunt accuratissimae. Gratissimum mihi feceris, si significaveris has literas meas, festinanter quidem scriptas, sed observantiae erga Te meae testimonium veluti quoddam, Te recepisse. Vale. die 18. Aprilis an. 1758. Salutem Boehmio, cui dicas precor, Manfre Venetum ad me scripsisse, se ad Gle-

ditschium libros et fasciculum Paciaudii et meum misisse. Recipiam libenter Suite des memoires cum Carminibus Regis ad Woltarium. Valete ambo.

EPIST. XXXI.

VIRO SUMMO

I. AUG. ERNESTI

S. P. D.

DANIEL WYTTENBACHIUS.

Cum ut quisque bonarum literarum est amantissimus, ita earum statores atque antistites maxime amet atque suspiciat, non est quod mireris, Ernesti virorum summe, me eodem illo amore incitatum, sensum quem diu tacitus mecum alui et continui, Tibi, ejus auctori, tandem apperire hisque literis significare. Quamquam ipse quidem tui amor communis est mihi cum omnibus qui se non ipsi ab humanitate segregatos volunt: at quod eum ex beneficiorum tuorum abundantia ignotus licet et magno locorum intervallo a te disjunctus concepi, id vero cum pauciorum societate conjunctum esse videtur. Quoad enim initia recordari possum ea, quibus hanc studiorum viam ingressus sum, reperio me saluberrimis iis, quae in immortalibus tuis scriptis sparsisti, praeceptis primum ad hanc elegantem antiquitatis rationem suscipiendam excitatum atque adductum fuisse. Quod quidem literis etiam ad Te scriptis testatus sum, quo tempore epistolae meae criticae exemplum ad Te misi: eodemque consilio haud ita multo post, Plutarchi a me libellus editus ut ad Te perveniret, curavi.

Postea vero, etsi literis non audebam tibi iterum molestus esse, non destiti tamen beneficia Tua vel grati animi sensu recolere, vel ingenii doctrinaeque tuae commemoratione apud alios celebrare. Atque cum tantus jam esset iste animi erga Te affectus, ut ad eum accedere nil quidquam posse videretur, magno tamen admirationis quasi cumulo auctus perfectusque est. Nam cum ego in antiquitatis disciplina ista via incederem ut primum omnem meam curam operamque in Graecis unice ponerem, postea demum Latina adjungerem iisque me darem; factum est ut, cum antea doctrinae Tuae praestantiam ex solis Graecorum scriptorum interpretationibus cognovissem, eam nunc etiam ex latinarum literarum commentationibus intelligere inciperem. Nil nunc dicam de infinita illa et accuratissima omnium rerum et divinarum et humanarum scientia, nil de acerrimo veri pulcrique judicio, nil de illa omnibus dicendi virtutibus cumulata orationis facultate, nil de reliquis iisque divinis doctrinae tuae dotibus. Malo enim gestientem seque universum prodere atque effundere cupientem sensum, quamvis invitus comprimere, quam laudibus tuis praedicandis ambitionis apud Te notam suscipere. Quamquam Tu is es in quo laudando oratio deesse nemini possit; ut, quum quis, multa quamvis et innumera verbis in Te contulerit ornamenta, is ea non auribus Tuis potius quam veritati dedisse videatur. Neque etiam in illud ingenium, rerum usum, et, ut vere dicam, sapientiam, quae in Te est, ullo modo cadere possit, ut benivolentiam suam potius adulationis levitati quam sincero animi cultui veritatisque testimonio largiatur. Neque vero etiam ego vel ita vanus sim atque abjectus ut istam ambiam gratiam quae simulato cultu et laudum fictarum lenocinio conciliari debeat; vel ita stultus atque amens,

ut cum habeam quae vere dicam iis relictis ad mendacium descendam. Ego vero quotiescumque vel ipse doctrinae tuae suavitatem percipio: percipio autem saepissime: aut discipulos meos ad ejusdem salubritatis fontes adduco, toties et Tibi auctori hujus beneficii interiore quodam mentis sensu gratias ago, mihique ipse gaudeo quod eo ingenio sim ut bona tua cum agnoscere possim tum frui etiam iis velim. Et cum Germaniae nostrae gratulor de Te tanto doctore vindiceque literarum, tum ejusdem sortem miseror cum ejus me temporis cogitatio subit quo tua luce carendum ei erit. Sed haec quidem *θεῶν ἐν γούνασι κεῖται*. Sed cum te Deus velut hierophantem atque antistitem bonarum literarum in his terris posuerit, tuum est, Ernesti praestantissime, doctrinae lucem non tantum voce et scriptis spargere, sed eos etiam qui his sacris initiati sunt liberaliter ornare et a profanorum invidia contemtuque vindicare. Quare spero me non solum facile veniam a Te impetraturum, sed gratum Tibi etiam facturum, si duo excellentia quae fortunae quadam iniquitate in obscuro latent ingenia in Tua notitia cognitioneque posuero.

Primum de I. Christ. Bangio dicam Gosfeldae in agro Marburgensi sacerdote. Huic quamquam nunquam contigit ut Tua voce frueretur, semper tamen studio voluntate et sermone nomen suum inter disciplinae Tuae alumnos professus est. Quod quidem si quis alius juste vereque faciebat. Ita enim Te ex scriptis tuis amplectebatur, ita in oculis ferebat, ita Tuis vestigiis insistebat, ut haud sciam an nemo umquam tam germanus Tui discipulus ex schola Tua prodierit. Itaque ego, cum primum animum ad Graecas latinasque literas adjicerem, ad ejus me amicitiam applicavi, ut ab eo qui in isto venustioris

antiquitatis itinere longius progressus esset, lumen mihi accenderem. Nec me fefellit ista spes. Nam cum scripta mihi Tua cognoscenda dedit, tum eorum praeceptis magna me errorum, quos in isto genere conceperam, copia purgavit, tum monendo cavendoque effecit ut his vestigiis ad accuratam elegantemque harum literarum rationem progrederer. Sed Bangius cum suas rationes ad Academicam vitam composuisset, Marburgi gradum Magisterii capessivit scripta dissertatione de Stilo N. Test. in qua doctrina ejus eo magis eluxit, quod, cum in loco nec novo et ita tractato, ut ejus diligentiae omnia ab aliis praecepta viderentur, versaretur, ita copiose eleganterque disputavit, ut partim nova quaedam adferret partim vetera in nova luce poneret exquisitoque orationis cultu ornaret. Neque tamen in scholas quas omnino in Graecum aliquem scriptorem habiturum se profiteretur, quemquam fere allicere potuit. Quod inde factum quod vel Klotzius de ejus libello inique pronuntiasset, vel quod ii quos tum auctores ducesque sequebatur juvenum grex huic studiorum generi non faverent, vel quod ipse, qui semper *οὐ δοκεῖν ἀλλ' εἶναι ἐβούλετο*, adulari nec vellet nec posset. Nam quod Lutheranae formulae addictus est, id quidem in ea Academia nil obest. Et pater meus prudentissimus integerrimusque vir, cum ipsius merito tum mei caussa eum ita amabat, ut per eum quidem nil non praeclari assecutus esset. Ceterum Bangius cum videret ea esse hominum ingenia, ut omnem Gr. literarum utilitatem N. Testamenti interpretatione metirentur, non illa eleganti quae arcem Theologiae tenet quaeque ex accurata grammatica ratione, linguarum scientia, et antiquitatis usu efflorescit, sed jejuna illa et mendica ac ab omni elegantiae antiquae instrumento vacua, quae ut nosti exegeseôs nomine

omnes protestantium scholas pervagatur: hoc igitur cum videret, scholas professus est in Chrestomathiam patristicam a Burgio editam, ad easque elegantissime scripto programmate juvenes invitavit. Nequiquam: nec enim hebetes mentes hanc elegantiae vim capere poterant. Itaque data occasione sacerdotium Gosfeldense nactus rus concessit. Verum quo loco veluti tranquillum honestissimi otii portum subiisse videbatur, ibi majorum curarum sollicitudinumque fluctibus agitatus est. Nam homo venustus qui decessorum suorum barbariem sequi nollet, cum quaedam ab inimicis etiam discordiae semina spargerentur, rusticarum animarum conciliare sibi amorem non potuit. Ita illa vis ingenii nata juvenum ingeniis ad literarum humanitatem erudiendis cum agresti feritate conflictari seque ipsa conficere cogitur. Huic Tu, si tuam voluntatem addixeris, servabis eruditorum civitati hominem insigni accurataque divinarum rerum humanarumque scientia et plane ad Tuum exemplum conformata, Gr. vero Latinarumque literarum interiore cognitione instructum interpretemque subtilem, purae denique elegantisque latinae orationis facultate adeo praestantem, ut in tota Germania qui quidem Tibi hac laude similior sit sciam omnino neminem.

Alter est Wagnerus Ictus apud eosdem Marburgenses. Hic cum ab ineunte aetate insigni Gr. Romanarumque literarum percussus esset amore, eum non deposuit posteaquam Iurisprudentiae studio se dedit: sed ita utriusque disciplinae conjunxit rationem, ut si Te magistrum nactus fuisset, ad Bachii Tui praestantiam crescere potuisset. Sed nescio quonam ejus fato factum esse dicam ut infaustis auspiciis in publicam lucem prodiret. Nam cum aliquo

libello edendo in eruditorum notitiam pervenire gestiret, veluti aestu abreptus ad Klotzium delatus est, cujus praefationis commendatione libellum de vestigiis Graecarum imitationum quae in Horatio exstant emisit. Quamquam eum sibi patronum elegit non animi judicio sententiaque inductus, sed fortunae laudisque cupiditate deceptus. Huc accessit ut, de vitiis quae in vulgari studiorum ratione versantur liberius pronuntiando quorumdam Doctorum animos a se abalienaret. Quare eo ejus res redierunt, ut formulis cantandis victum quaerere cogatur. Atque haec ita scripta esse a me scias ut omnia veritati et literarum amori, nil hominum amicitiae tribuerem. Itaque eos in Tua fide tutelaque repono, petoque a Te et rogo, ut, si quid in me conferres benivolentiae precibus meis victus: quamquam benivolentiam quo meo a Te merito exspectem nescio: sed tamen si quid in me suavitatis conferres, hoc in amicos istos meos transferas et accumules, eosque tua commendatione vel vindices ab oblivione, vel eo loco ponas, quo literis nostris prodesse queant.

Et facies nimirum? nam et voles literarum caussa quibus totam vitam impendisti, et poteris propter summam quam Tibi tuis comparasti virtutibus auctoritatem.

Ceterum cum jam in eo essem ut finem huic imponerem epistolae, ecce mirifica voluptate eo abreptus sum ut Tibi de studiorum meorum ratione breviter exponerem. Ego, Vir summe, omne quod mihi a scholis liberum est tempus in Plutarcho colloco ad novam editionem expoliendo. Cujus consilii cum ante aliquot annos libellum de Ser. Num. Vindicta loco speciminis emitterem, animadverti me copioso commentandi genere in quorumdam reprehen-

sionem incurrisse. Equidem hoc profiteri possum me in reliquis Plutarchi operibus multo breviorem adstrictioremque futurum: non quidem reprehensorum istorum auctoritati obsequentem, sed mei commodi rationibus inductum. Nam in singulari libello nec tam molesta est copia, nec facile cum semel congesta est, coarctatur atque praeciditur. Sed editionis consilio nunc quidem solum Moralium volumen complexus sum; Vitae in aliud tempus rejiciuntur. Et superiore anno Parisiis plerosque regiae bibliothecae scriptos libros ipse excussi, ex quibus miram optimarum lectionum vim collegi. In ea urbe multis mihi partibus utilis fuit Villoisoni humanitas, qui vel unus vel solus Gallorum veram literarum nostrarum rationem viamque sequitur: a qua ne civium suorum levitate deducatur cum Ruhnkenii nostri praecepta cavebunt tum Tua monita etiam providebunt quibus per literas, ut mihi ipse dixit, a Te eruditur. Fortasse jam scias Ruhnkenii Vellejum et vitam Longini a Chalcographis describi. Valkenarius Xenophontis Hellenica cum Agesilao edet, quem libellum expositis rationibus spurium esse evincit. Propertii Burmanniani jam fere dimidia pars typis est descripta: ejus animadversionibus admiscentur Ruhnkenii quaedam et Marklandi observationes. Tollius Hardervicensis Apollonium, nuper a Villoisono editum, suis animadversionibus instructum edit, Nonioque Marcello suam curam operamque addixit.

Tu vero hujus elegantiarum disciplinae antistes, arce ab ea profanorum temeritatem ab eaque socios tuorum sacrorum vindica atque tuere; in quorum societatem si me quoque adscribas, tum amanter erga me facies tum etiam honorifice. Ita vale, Vir summe, meque tua benivolentia complectere. Dab. in agro Leidensi. a. d. 20 Aug. 1776.

EPIST. XXXII.

Je ne puis, Monsieur, vous exprimer le plaisir que votre obligeante lettre m'a causé. Il y a longtemps que je grossis le nombre de vos admirateurs. J'ai cherché à lire tout ce qui nous est venu de vous, à commencer par votre Préface sur Cicéron, qui est le premier de vos Ouvrages que j'aye connu, et qui me paroît un chef-d'oeuvre de bon sens et de bon goût.

J'avois espéré m'entretenir souvent de Vous, Monsieur, avec Monsr. Erbert. Mais je ne l'ai vu qu'une seule fois, et même ce ne fût qu'un instant. Je m'étois proposé de le mettre en liaison avec quelques-uns de nos Academiciens des Sciences, et je suis allé inutilement pour le voir chez lui. Il n'a paru ici que comme un éclair. Je vous assure qu'il n'a pas eu le temps de voir la dixième partie des vues de Paris, et à plus forte raison les particularitez, les bibliotheques, et les hommes qui auroient été dignes de son attention.

Vénons aux Nuées d'Aristophan. Non seulement je vous envoie les Variantes et les Scholies qui meritoient d'être extraites du Manuscrit du Coislin; mais la rîche bibliotheque des Jésuites qui occupoient le Collège de Louis le Grand ayant été mise en vente, j'ai été assez heureux pour obténir qu'on me prêtât deux autres Manuscrits dont je doute que feu Mr. Kuster ait eu connoissance. Vous aurez ici pareillement ce qu'ils contiennent de plus rémarquable, tant bonque mauvais. Car j'ai cru qu'il falloit quelquefois rapporter jusqu'aux fautes des Copistes. Ces Manuscrits sont

sur vélin, très-bien conservez, l'un du douzième, et l'autre du quatorzième siècle. Mes yeux qui commencent à se brouiller, ne m'auroient pas permis d'en faire la collation, si je n'avois été secouru par un de mes Confrères, Monsieur Dupuy, connu par sa Traduction de quelques Tragédies de Sophocle. Vous recevréz ce paquet par les soins de M. l'Abbé de la Ville premier Commis des Affaires étrangeres. Vous me tranquilliserez en m'en accusant la reception par un billet que vous mettrez s'il vous plait sous l'enveloppe de cet Abbé.

J'ai l'honneur d'être avec une estime infinie, et avec un entier dévouement,

Monsieur,

Votre très-humble et très-obeissant serviteur

Paris 9. Août.

l'Abbé d'Olivet.

SCHEDAE

RUHNKENII MANU SCRIPTAE.

I. *Callimachi Hymni ex editione Graevii collati cum Cod. Regio.* *)

H. in Iov.

v. 13. ἐπινίσσεται - - - - ἐπιμίσγεται.

— 26. πολύστειόν τε - - πολύστειβόν τε. In marg. πολύστειον.

— 34. κευθμόν - - - - - κευθμὸν, et pro glossemate, σπήλαιον.

— 52. γε περὶ πρύλιν - - σε περὶ πρύχην.

— 64. ὅσον - - - - - - - ὅσσον.

— 75. ὧν πάντα· τί δ' οὐ ὧν πάντα δίδου.

— 90. ἐκόλυσας - - - - - - ἐκόλουσας.

— 92. τίς κεν - - - - - - τίς μέν.

— 95. ἀείσει - - - - - - - ἀείσοι.

H. in Apoll.

— 4. ἐπένευσεν - - - - - ἐπέπνευσεν. in marg. ἐπένευσεν.

— 6. ἀνακλίνεσθε - - - - ἀνακλίεσθε. marg. ἀνακλίνεσθε.

— 32. εὔυμνος· τίς δ' ἂν οὐ ῥέα Φοῖβον ἀείδοι - εὔυμνός τις ἀν' οὖρεα Φοῖνβος (sic) ἀείδειν.

*) Vid. Epistolam Ruhnk. secundam.

H. in Dian.

v. 25. ἀπεθήκατο κόλπων	ἀπεθήκατο γυίων.
— 244. τετρήνοντο - - -	τετρήναντα.

H. in Del.

— 136. ἀποκρύψειν δὲ ῥέεθρα - - - - - - - - -	ἀποκρύψαι καὶ ῥέεθρα.
— 140. ἔβραχεν - - - -	ἔβρεμεν.
— 150. εἰσόκε οἱ Κοικηΐς	εἰσόκεν οἱ Κοιηΐς.
— 202. τοῦτό με ῥέξον ὅ τοι φίλον - - - - - - -	τοῦτο ῥέξον ὅ, τι τοι φίλον.
— 266. ὦ μεγάλ', ὦ πολύβωμε - - - - - - - - -	ὦ μεγάλη, πολύβωμε.
— 298. παρθενικαὶ-ἰούλῳ - - - - - - - - - - -	παρθενικαῖς-ἰούλων.

In Lavacr. Pallad.

— 3. εὔτυκος - - - - -	εὔτυκτος. Marg. εὔτυκος.
— 27. ὦ κόραι-ἀνέδραμε πρώιον - - - - - -	κόραις-ἀνέδραμε, πρώιον.
— 78. θεμιδές - - - - -	θεμιτά.
— 116. δεξεῖται - - - -	λεξεῖται.

In Cerer.

— 27. ἦλθεν - - - - - -	ἦνθεν.
— 119. εἴπατε παρθενικαὶ	δεῦρ' ἴτε παρθενικαί.
— 136. εὐημερίᾳ - - - -	εὐηπελίᾳ.

AD SCHOLIA.

in Iov.

Ad voc. *Λέπριον* pro *Λεπρέα* --- *ὃς προσκαλεσάμενος*, legitur in Cod. *Λεπρέος* --- *ὃς προκαλεσάμενος*.

Ad voc. *Λυκαονίης* pro *ἐξ ἧς καὶ Διὸς μεταβληθέντος εἰς Ἄρτεμιν* legitur *μεταβληθέντος εἰς ἄρκτον*.

Ad voc. *πρύλιν* Glossa, *ἐνόπλιον ὄρχησιν*.

Ad verb. *ὁ οὐρανὸς δὲ καὶ ὁ Ἅιδης πλεῖστον διαφέρουσι*, MS. ita: *ὁ οὐρανὸς δὲ καὶ ὁ ᾅδης τοσοῦτον διαφέρουσι, ὅσον καὶ διεστήκασιν*.

Ad voc. *ἐμπεράμους* non *τοὺς ἐμπόρους*, sed *τοὺς ἐμπείρους*.

in Apoll.

ad verb. *οἱ δὲ νέοι*. Schol. *ὡς τῶν νέων καθιερευομένων τῷ Ἀπόλλωνι*.

ad voc. *ἐπικορπὶς*· Schol. *ἡ περόνη ἡ λεγομένη φίβλα*.

in Dian.

ad verb. *νήσῳ ἐνὶ Λιπάρῃ*. Schol. *νῆσος δέ ἐστιν ἡ Λιπάρη πλησίον τῆς Σικελίας*.

in Del.

ad verb. *Βρέννος* in MS. *προξενεῖ αὐτοὺς αὐτῷ*, et loco *κατέκλυσεν* habet *κατέκαυσεν*.

ad vers. 256. *ποταμοῦ γένος ἀρχαίοιο* Schol. interlin. *ἀρχαίοιο τοῦ Ἰνησοῦ*.

in Cerer.

ad verb. *μηδ᾽ ἃ κατεχεύατο χαίταν*. Schol. interlin. *μηδ᾽ ἥτις ἄγαμός ἐστιν*.

μηδ᾽ ὄχ᾽ ἀφ᾽ αὐαλέων, Schol. *τουτέστι μετὰ τὸ δεῖπνον· τότε γὰρ οὐ μεταλαμβάνομεν τῶν σιτίων*.

ἕσπερος ἐκ νεφέων. Schol. Ἕσπερος μόνος θεάσατο τὸν κάλαθον, ὅστις ἔπεισε τὴν Δήμητραν μεταλαβεῖν σιτίων, μετὰ τὸ παύσασθαι ζητοῦσαν τὴν κόρην.

τρὶς ἐπὶ καλλιχόρῳ. Schol. Καλλίχορον φρέαρ ἐκαλεῖτο ἐν Ἐλευσῖνι· ἔστι δὲ καὶ δῆμος Ἀττικῆς.

ad v. 22. ἀνίκα Τριπτόλεμος. Schol. Τριπτόλεμον λέγουσι υἱὸν Κελεοῦ, ὃν Δημήτηρ ἐδίδαξε σιτουργίαν.

Codex est inter Graecos numero MMDCCLXIII. et describitur in Catalogo Bibliothecae Regiae.

II. *In Callimachi Epigrammata.* *)

Anthol. L. I. cap. 1. ep. 2. *Τὰν ἥβαν ἐς ἄεθλα κ. λ.* Scholiastes ineditus dubitat, utrum Epigr. sit *Διοτίμου ἢ Καλλιμάχου.* vid. Dorvill. in Charit. p. 514.

Lib. I. cap. 27. ep. 2. *Αὐτὸ τὸ πῦρ καύσειν διζήμενος.* Notat Obsopaeus, nonnullos hoc epigramma Callimachi putare. Ex Codice tamen Palatino nihil annotatum reperio.

Lib. I. cap. 67. *Μικρή τις Διόνυσε καλὰ πρήσσοντι* etc. Huet. Not. in Anthol. p. 12.

Crinagorae Epigramma, quod Bentl. profert ad Fragm. XL. ita corrigit Salmasius notis ineditis in Anthol. „*τοὺς ἐπέθηκε.* Lege, *οὗς.* Mox in Cod. Palatino legitur, *τοὺς οἱ καὶ νεαρὸν χειρῶν σθένος.* Forte, *τῷ σοι καὶ νεαρόν.* Hic Marcellus forte fuit librarius, qui hoc Callimachi *ποίημα* Hecalen exaraverat." Hactenus Salmasius.

Anthol. L. I. cap. 67. *Καλλίμαχος τὸ κάθαρμα, τὸ παίγνιον* etc. Recte conjecit Brodaeus, hoc distichon Apollonio Rhodio deberi. Huic enim tribuit Scholiastes Anthologiae ineditus. vid. Bentl. ad Fr. I. et Epist. Malalae subj. p. 71.

*) Vide *Ruhnkenii* Ep. 4. Alterum schedae folium abscissum erat, neque reperire potui. Hae annotationes et sequentes mutatae non uno loco reperiuntur in editione Callimachi, nonnullae omissae, aliae sine Ruhnkenii nomine repetitae sunt. Sed nomen quidem suum Ruhnkenium ipsum extinxisse, ipsius verba docent (in. Ep. 12.). Et ipse etiam observationes suas remissas mutasse et auxisse videtur; quod in vita Arati, quam infra ex ipsis Ruhnkenii schedis repetimus, manifesto factum est. Certe nihil inscio Ruhnkenio Ernesti mutavit aut omissit; omnia enim ad illum hic misit, ut typis exscriberentur.

Anthol. L. II. cap. 40. ep. 3. — ἐκ ποταμῶν χλωρὰ χελιδόνια. Parthenii vel Callimachi verba esse putat Huetius not. in Anthol. p. 17.

Lib. III. cap. 1. ep. 10. Τῇδε Σάων etc. Codex Palatin. pro θνήσκειν exhibet θνάσκειν.

Lib. III. cap. 5. p. 296. edit. Wechel. Θηρῶν μὲν κάρτιστος etc. Ad hoc Epigramma Salmasius in notis ineditis notat sequentia: „Epigrammatis „mentem aperit lemma his verbis conceptum in Cod. „Palatino, εἰς λέοντα τινὰ, ὃν ἐφρούρει λέων μαρ„μάρινος. Illud non possum mihi aliter persua„dere, quam junctim legenda esse haec Epigr. quae „tamen divulsa sunt, hoc modo:

Θηρῶν μὲν κάρτιστος ἐγὼ, θνατῶν δ' ὃν ἐγὼ νῦν
Φρουρῶ τῷδε τάφῳ λαΐνῳ ἐμβεβαώς.
Ἀλλ' εἰ μὴ θυμόν γε λέων ἐμὸν οὔνομα εἶχεν,
Οὐκ ἂν ἐγὼ τύμβῳ τῷδ' ἐπέθηκα πόδας.

„Praeterea nobis suo auctori asserendum est. Non „est enim Simonidae, sed Callimachi. Disjunctim „etiam legebantur in MS. et aliquot Epigr. inter„cedebant, et prior pars Simonidi, posterior Calli„macho ascripta legebatur." Conjungenda haec Epigrammata esse, vidit etiam Huetius not. in Anthol. p. 21.

Lib. III. cap. 6. p. 314. Δαίμονα τίς δ' εὖ οἶδε etc. Codex Palatinus Dorismum conservavit, ἁνίκα — ἁμετέροις — Τᾶ ἑτέρα.

Lib. III. cap. 9. p. 321. Τὸν τριετῆ παίζοντα περὶ φρέαρ etc. Salmasius haec annotavit: „Lege, ἅρ„πασε — κοιμανθείς. Alio loco in MSto Callima„cho auctore legitur paucis mutatis. Imo ἀρχιά„νακτα, in altero ἀρχεάνακτα. Corrige igitur „ἀρχιάνακτα pro ἀστυάνακτα."

Lib. III. cap. 10. p. 323. Ἡ γρηῦς Νικὼ Μελίτης etc. Salmasii verba haec sunt: „Vulgo male Leo„nidae. Est enim Simonidis, aut, quod potius pu„to, Callimachi. Nam quod proxime praecessit, „Γήραϊ καὶ πενίῃ, in dubio erat, Simonidis esset „an Callimachi. Postea sequitur τοῦ αὐτοῦ. Puto „igitur esse Callimachi.“

Lib. III. cap. 12. p. 333. Τιμονόη, τίς δ' ἐσσί; etc. Codex Palatinus, Καλλιμάχου εἰς Τιμονίην, non Τιμονόην.

Lib. III. cap. 23. p. 377. Ἠῷοι Μελάνιππον etc. Huet. not. p. 25.

Lib. III. cap. 25. p. 402. εἰς Καλλίμαχον.

Ὦ μάκαρ ἀμβροσίῃσι συνέστιε etc.

„Haec epigrammata in Callimachum ἄδηλα. In MS. „unum idemque est epigr. Conjunctum enim est. „Scholiastes vetus: Εἰς Καλλίμαχον τὸν ποιητὴν, „ὃν ἔσκωψεν Ἀπολλώνιος ὁ Ῥόδιος τὰ Ἀργοναυ„τικὰ γράψας, εἰπών· Καλλίμαχος τὸ κάθαρμα „τὸ παίγνιον ὁ ξύλινος νοῦς αἴτιος ὁ γράψας αἴ„τια Καλλιμάχου.

„οὐδ' ἐλέφαντος ἔφυς. in MS. ἔης. et mox, ἅτ' „οὐ πάρος ἄνερες ἴδμεν. — ἤγαγες ἐν μούσαις. „MS. ἐν μέσσαις. ut sane verum est.“ Hactenus Salmasius. Citat Epigr. Suidas v. Ὄνειαρ. — etiam ἔῃς pro ἔφυς. De variante μέσσαις vide Dorvill. in Chariton. p. 547. cf. Huet. not. in Anth. p. 27.

Lib. III. cap. 26. p. 409. Ἀστακίδην τὸν Κρῆτα etc. Vertit Dan. Heinsius Poëmat. p....

Lib. III. cap. 33. p. 422. Ξεῖνος Ἀταρνείτης τις ἀνείρετο Πιττακὸν etc. „Hoc nobilissimum Epigr. „vulgo tribuitur Callimacho; at non ita in MSto. „Vetus Criticus, qui illius ἔκδοσιν curaverat, quam „habuimus, Τοῦτο, inquit, Διογένης ὁ Λαερτίου

„λέγει ἐν τοῖς τῶν φιλοσόφων βίοις ὡς ἴδιον. πλὴν „παντὶ διογένους εἰσὶν τοῦ τῶν φιλοσόφων βίους „ἀναγραψαμένου. Sed et paulo infra idem dicit. „Τοῦτ' Ἀλκαῖος ἐποίησεν εἰς Πιττακὸν τὸν Μι„τυληναῖον. Πιττακὸς δὲ εὐμήχανος ἦν στρατιώ„της, διὸ καὶ πρός τινα Ἀθηναῖον ἐμονομάχη„σεν." Hactenus Salmasius. Pro ἄγε μοι σὺ Cod. Palat. ἄγε σὺν μοι. Citat hoc Epigramma Suidas v. Ἄττα, Βέμβηξ, Χρήματα. Conf. Huetii not. in Anthol. p. 28. Sequens etiam Epigr. Εἶπέ τις Ἡράκλειτε, citat Suidas v. Λέσχη.

Lib. III. cap. 33. p. 428. Εἴπας ἥλιε χαῖρε Κλεόμβροτος etc. Membrana Palatina Dorismum servat, ὤμβρακιώτας — ἀΐδαν. Conf. Valcken. Anim. in Ammon. p. 58.

Lib. IV. p. 480. Τίπτε μόθων ἄτλητε Ἐνυαλίοιο λέλογχας etc. Notat Salmasius, hoc Epigr. in Codice Palatino *Antimacho* tribui. Sed cum ejus ne unicum quidem vel in edita vel in inedita Anthologia Epigramma extet, crediderim oscitantem librarium *Antimachum* pro *Callimacho* scripsisse, ut alibi passim. Dignum hercle est Callimachi elegantia. Scripturae varietates hae sunt: αἶτε κατ' εὐνὰν τέρψεις. MS. ἅτε κατ' εὐνὰν τέρψις — μέθες. MS. καθές. — οὐδ' εὐχαίταν. MS. εὐχεταίαν mendose.

Lib. VI. p. 569. Κυνθίδες θαρσεῖτε etc. Salmasii nota haec est: „Ἄδηλον illud Epigramma est Καλ„λιμάχου. Pro Κυνθίδες lege Κυνθιάδες θαρ„σεῖτε. Κυνθιάδας vocat αἶγας, quarum copia erat „in Cyntho monte."

III. *Ad Callimachi Epigr. et Fragm.* *)

Epigr. XXVII.

Huc respicit Hesychius v. *Καλλίστα*.

Epigr. XI.

Conf. Diodori Epigr. Anthol. L. III. cap. 6. p. 308. ed. Wechel.

Epigr. II.

ἀηδόνες. Incerti Epigr. Anthol. Lib. I. cap. 67. p. 134. ed. Wech. Salm. in Simm. Ovum p. 162.

Epigr. XLV.

Salmas. in H. A. Tom. I. p. 660. II. p. 616.

Epigr. I.

Citat Suidas v. *Ἄττα* et v. *Βέμβιξ*.

Epigr. II.

Citat Suidas v. *Λέσχη*.

Epigr. V.

Confer Epigr. a Kustero editum ad Suidam T. II. p. 407. vers. 8. emendatiorem citat Etymol. M. v. *Περισκέπτῳ*. Vid. Lennep. ad Coluth. p. 20. Huet. in Anthol. p. 79.

Epigr. XVIII.

Citat Schol. Aristoph. ad Nubes v. 41.

Epigr. XXXI.

Fulvii Ursini Virgil. cum Gr. Scr. collatus p. 98.

Epigr. XXIX.

F. Ursin. ibid. p. 14. et Clerici Sylvae Philologicae.

Epigr. LV.

Achilles Statius p. 134. in Uranolog. Petav.

(*) Vid. *Ruhnkenii epist. quintam.* Sunt folia quatuor.

Epigr. XLII.

Hagenbuch. Diatr. ad Marm. p. 25. et Epist. Epigraph. p. 42 et 75.

Epigr. XLVI.

Salmas. da Usur. p. 182.

Epigr. XIV.

Salmas. in Tertull. Pall. p. 334.

Epigr. LIII.

Inngerman. in Polluc. VI. 81.

Fr. CXXXI.

Integrius est apud Suidam v. Ἐπαύλια.

Fr. CCXXXIV.

Corrigit Is. Vossius in Catullum.

Fr. CXX.

H. Vales. in Addendis ad Excerpta Peiresciana.

Fr. CCIV.

Ἀκανθώδει corrigit etiam Richterus in Observat. Criticis p. 92. in ceteris infeliciter versatus.

Fr. XLVIII.

Conf. Suid. v. Ἀρίσταρχος Τεγεάτης.

Fr. XLI.

Kuhnius in Ael. V. H. XIV. 14.

Fr. CXLVI.

ἄπαρτι legit Schol. Comici ad Plutum v. 388.

Fr. CIII.

Conf. Stephan. Byz. v. Ἰσθμός et Berkel.

Fr. LIX.

Salm. in Tertull. Pall. p. 105. Rutgers. Var. Lect. p. 192.

Fr. CXVIII.

Salm. in Tertull. Pall. p. 177.

Fr. XIII.

Wesseling. ad Ant. Itin. p. 63.

Fr. CIV.

Wessel. ad Itiner. p. 271.

Fr. CV.

Kuhn. in Polluc. I. 7. Wessel. Probabil. c. 35.

Fr. CCIX.

Wesseling. ad Simson. Chronic. p. 651. ed. nov.

Fragm. Spanhem. 30. p. 284.

Corrigit Tan. Faber ad Luciani Timon. p. 880.

Fr. CLVI.

Vales. in Maussaci not. ad Harpocr. p. 263.

Fr. CI.

Vales. in not. Maussaci p. 328. Wesseling. ad Diodor. Sicul. T. II. p. 100.

Fr. CLVII.

Hesych. v. *Βωνίτας*. inde corrige Suid. v. *Βώνυσοι*. Conf. Anthol. L. VI. p. 568. ed. Wechel.

Fr. CXXVIII.

Emendat Ian. Rutgersius in Lectionibus Venusinis.

Fr. LXVI.

Observ. Misc. Nov. Tom. IX. init.

Fr. CLXXV.

Lennep. Anim. in Coluth. p. 62.

Fr. CLXXXV.

Libanius Opp. Sophist. T. I. p. 162. et T. II. p. 372. inprimis Alciphron L. III. Epist. 23. Plutarch. T. I. p. 1037. A.

Fr. CC.

Inepte Bernardus ad Synes. de Febrib. p. 31. corrigit *γάνος*.

Fr. CCVIII.

Est vers. 231. hymni in Dianam.

Fr. CCXXXVIII.

Iac. Gronovii Emend. in Suid. p. 79. et Kusteri Diatr. Anti - Gronov. p. 19.

Fr. CCLXXXIX.

Homeri versum esse, observavit Kuster.

Fr. CCCXVI.

Est versus Homeri Iliad. *E.* 403.

Fr. CCLXXXVII.

Muratorii Anecd. Graec. p. 13.

Fragmenta Bentlejo ignorata.

Lexicon Reg. MS. apud Albertum ad Hesych. T. I. p. 1180.

— *ἵν' ἔλλερα πολλὰ τέλεσκεν.*

Φορβεία αὐλητική. Pollux X. 153. ubi vid. Hemsterhus.

Aliud Fragm. Callimacho tribuit Salm. ad Polluc. V. 59.

Τρύπανον αἰπολικόν. Eustath. ad Od. *Γ.* p. 1471. ed. Rom.

Proclus in Platonis Polit. p. 591. Ed. Basil.

— *πάλαι δ' ἔτι Θεσσαλὸν ἀνὴρ*
Ῥυστάζει φθιμένων ἀμφὶ τύμβον φονέας.

Photius Lexic. MS.

Τριττύαν· θυσίαν. Καλλίμαχος μὲν τὴν ἐκ κριοῦ, ταύρου καὶ κάπρου. Ἴστρος δὲ ἐν μὲν Ἀπόλλωνος ἐπιφανείαις, ἐκ βοῶν, αἰγῶν, ὑῶν ἀῤῥένων, πάντων τριετῶν. Eadem fere sunt apud Etymol. M. v. *Τριττὺν θυσίαν* p. 768.

Glossarium MS. Vossianum.

Καλόστροφος· σχοινόπλοκος. Κᾶλον γὰρ τὸ σχοινίον. ἴσως ὅτι ἀπὸ τοῦ φλοιοῦ ξύλου τὸ πρῶτον

ἐπετηδεύθη· κᾶλον γὰρ τὸ ξύλον εἴρηται, ἀφ' οὗ καλόπους, τὸ λεγόμενον καλοπόδιον. Καλλίμαχος Ἑκάλῃ· παλαίθετα κᾶλα καθῄρει. Huc respicit Suidas v. Κᾶλα παλαίθετα.

Alia Fragmenta vide apud Stephan. Byz. v. Αἰθιόπιον. Heraclid. de Polit. p. 537. Galen. Tom. V. p. 455. ed. Basil. Davis. in Ciceron. Tusc. Disp. I. 39. Caspar. Hoffman. Var. Lect. I. 25. Suid. voc. Κωμῆται.

De Seberiani in Callimachum odio vid. Damasc. apud Suid. v. Σεβηριανός.

Apollonius Dyscolus Grammatica inedita MS. Ὅτι γὰρ καὶ δυσυλλάβων ἀποκοπαὶ γίνονται, ἐν τῷ περὶ Παθῶν ἐδείχθη· τό τε γὰρ πρόπαρ οὕτως ἔχει καὶ τὸ μάκαρ πηδᾷ (sic) καὶ τὸ υμεν παρὰ Καλλιμάχῳ. His lucem affert Helladius Chrestomath. p. 8. ed. Meurs. Ὅτι ἡ μάκαρ φησὶ μονήρης ἐστὶ λέξις καὶ ἐν τοῖς θηλυκοῖς, τὸ δάμαρ· τὸ δὲ μάκαρ, ἐκ τοῦ μακάριος ἀποκέκοπται, ὥσπερ καὶ τὸ ὑμέναιε γέγονε κατ' ἀποκοπὴν ὑμέν.

In Hymnos.

In Iov. v. 1.

Aristoph. Equit. v. 1263.

v. 3.

Πηλογόνων. Salmas. ad Inscript. p. 115.

v. 5.

ἀμφήριστον. Anthol. Lib. III. cap. 30. p. 413.

v. 13.

Scholion explicat Odinus Obs. Misc. Nov. Tom. XII. p. 439.

in Apoll. v. 41.

Πρῶκες ἔραζε. Hinc castigandus Ios. Scaligeri error in Catalect. vet. Poëtar. p. 254.

v. 63.

ἐπεβάλλετο τοίχους. Libanius Opp. Soph. T. II. p. 343. *B.*

in Dian. v. 8.

ἔα πάτερ. Nonn. Dionys. L. V. p. 120. ed. Wechel.

v. 237.

Scaliger in Euseb. p. 55.

v. 251.

Wesseling. in Diodor. Sic. T. II. p. 337.

v. 259.

Cyriaci Epigr. p. XXXIII. Murator. Inscript. p. XXXVIII.

in Del. v. 11. 12.

Bayerus de Theophrasti Delii monum. post Diss. de Nummis in agro Prussico repertis p. 66.

v. 79.

ὑποδινηθεῖσα. Philostr. p. 860.

v. 156.

Quirini Corcyra p. 82.

in Lav. Pall. v. 130.

Ἀγεσίλα. Vide omnino Anthol. Lib. III. cap. 1. p. 281. ed. Wechel. ibique Io. Brodaeum.

v. 136.

Euripid. Electr. v. 399. Diodor. Anthol. L. VI. cap. 10. p. 560.

in Cerer. v. 57.

κακὰν ἐγράψατο φωνάν. Sumpsit hunc versum a Callimacho Nonnus Dionys. L. I. p. 36. ed. Wechel.

H. in Dian. v. 124.

ἐμμάξεαι ὀργήν. vide Hesychium v. *Ἀντεμμάσασθαι* et v. *Ἐμμάσαι*, et viros doctos aberrantes reduc in viam.

H. in Del. v. 122.

Ἀναγκαίη μεγάλη θεός. Herodot. Lib. VIII. cap. 11.

H. in Cer. v. 50.

ἐπεμαίνετο. Libanius Opp. Tom. II. p. 648. C. *μεμηνὼς ἐπὶ χρυσῷ.*

H. in Apollin. v. 112.

ἄκρον ἄωτον. Pindar. Isthm. Od. VII. Uterque sumpsit ab Homero.

ΓΕΝΟΣ ΑΡΑΤΟΥ. *)

Ex Cod. MS. Barocciano Bibl. Bodlej.

Ἄρατος πατρὸς μέν ἐστιν Ἀθηνοδώρου, μητρὸς δὲ Δητοφίλας, τὸ δὲ γένος ἀπὸ Σόλων τῆς Κιλικίας. Ὠνομάσθαι δέ φασι τὴν πόλιν ἀπὸ Σόλωνος τοῦ Μυδίου [1]. Ἀδελφοὺς δ' ἔσχε Λύρην [2]) τε καὶ Καλλιώδαν [3]) καὶ Ἀθηνόδωρον, ὅν φησιν Εὐφρά-

---

*) Exscripta est quidem haec vita Arati in editione Callimachi Ernest. Tom. I. p. 590. Sed eam repetendam tamen duxi hoc loco, non modo quod in iisdem schedis scripta erat, sed quod Ruhnkenii et Hemsterhusii ad eam annotationes differre intellexi ab illis, quae editioni subjectae sunt. Quas ne Ernesti arbitrio mutatas quisquam putet, ipsa comparatio impediet, quum secundas illorum virorum curas luculenter prodere videantur. Quod supra etiam de fragmentis et annotationibus ad Callimachum observavi.

1) L. *Λινδίου*. Vid. Menag. ad Diog. L. I. 51. Ruhnk.

2) Alii *Μύρων* et *Καλιόνδαν*. Ruhnk.

3) L. *Καλώνδαν*, ut Suid. idem nomen eius qui Archilochum peremit. Suid. in *Ἀρχίλοχος*. *Καλώνδης* Plutarcho Tom. II. p. 560.

νωρ ἀντιγράψαι πρὸς τὰς Ζωΐλου κατηγορίας. Διέπρεψε [4]) δὲ παρὰ Ἀντιγόνῳ, ὃς ἐβασίλευσε Μακεδονίας, παρελθούσης τῆς βασιλείας εἰς αὐτὸν τρόπον τοῦτον. Μετὰ τὴν Ἀλεξάνδρου τελευτὴν ἐκράτει τῆς Μακεδονίας Ἀριδαῖος ὁ κληθεὶς Φίλιππος. Τούτου δὲ ἀποθανόντος διεδέξατο Σέλευκος ὁ Νικάνωρ, ὃν ἀναιρεῖ Πτολεμαῖος ὁ κληθεὶς Κεραυνὸς, Πτολεμαίου τοῦ Σωτῆρος καὶ Εὐρυδίκης υἱὸς, ὃς βασιλεύει Μακεδονίας. Ἀναιρεθέντος δὲ αὐτοῦ ὑπὸ Γαλατῶν, ἑαυτοῖς αἱροῦνται Μακεδόνες Σωσθένην, μεθ' ὃν βασιλεύει αὐτῶν Ἀντίγονος Φιλίππου, οὗ γίνεται παῖς Δημήτριος ὁ Πολιορκητὴς, Δημητρίου δὲ Ἀντίλογος ὁ Γαλάτας [5]), παρ' ᾧ διέτριβεν αὐτὸς καὶ σὺν αὐτῷ Περσεὺς [6]) ὁ Στωϊκὸς καὶ Ἀνταγόρας ὁ Ῥόδιος ὁ τὴν Θημαΐδα [7]) ποιη-

---

E. Sic Ἀρχώνδας, Θεώνδας, Ἐπαμινώνδας Dorica pro Ἀρχωνίδης etc. HEMSTERHUS.

4) L. Διέτριψε. RUHNK. Nisi capiatur pro *in gratia fuit et honore.* Athen. IV. p. 174. E. HEMSTERH.

5) L. Ἀντίγονος ὁ Γονατᾶς. RUHNK. Haec confusa et corrupta: nam Antigonus Gonatas, Demetrii Poliorcetae filius, Antigoni, qui Philippo erat natus, unius successorum Alexandri nepos, post Sosthenem Macedoniae regnum tenuit. Lucian. de Macr. §. 11. p. 216. Dexipp. et Porphyr. in Euseb. Chron. I. p. 58. 60. HEMSTERH.

6) Περσεὺς] Ita Perseus olim in Cicer. de N. D. I, 15. et Minuc. Fel. c. 21. legebatur: vere correctum Persaeus et editum in Gell. II, 18. ubi vid. Iac. Gronov. Hic igitur perinde scribi debet, Περσαῖος· minus vitiatum in Arati altera Vita Περσίῳ τῷ φιλοσόφῳ. Praeter citatos ab aliis et Menagio ad Diog. L. VII, 36. adeundi Polyaen. VI, 5. Suid. in Ἑρμαγόρας Ἀμφιπολίτης. Quae Themistius de eo refert Or. XXXII. p. 358. nusquam alibi reperias. HEMSTERH.

7) Θημαΐδα] L. Θηβαΐδα. Forte hic Antagoras scripsit τὴν κυκλικὴν Θηβαΐδα, laudatam Athenaeo L. XI. p. 465. F. et Scholiastae Sophocl. Oed. Col. v. 1370. quam Maussac. in Harpocrat. v. Αὐτόχθονες ad Polemonem referebat. Eundem Antagoram in Co-

σας, καὶ Ἀλέξανδρος ὁ Αἰτωλὸς, ὡς αὐτός φησιν ὁ Ἀντίγονος ἐν τοῖς περὶ Ἱερώνυμον. Ἐπισταθεὶς δὲ τῷ βασιλεῖ πρῶτον μὲν αὐτοῦ· ποίημα ἀνέγνω τὸ εἰς τὸν Πᾶνα τῆς Ἀρκαδίας· εἶτ' ἐκείνου κελεύσαντος, ἔγραψε τὰ Φαινόμενα. Ἐκέχρητο δὲ ὁ Ἄρατος Ζήνωνι τῷ Στωϊκῷ φιλοσόφῳ, καὶ γέγραπται αὐτῷ ἐπιστολὴ πρὸς τοῦτον. Διώρθωσε δὲ καὶ τὴν Ὀδύσσειαν· ἦν δὲ σφόδρα πολυγράμματος ἀνὴρ, ὡς μαρτυρεῖ ὁ Καλλίμαχος. Δοσίθεος δὲ ὁ πολιτικὸς ἐν τῷ πρὸς Διόδωρον ἐλθεῖν φησιν αὐτὸν καὶ πρὸς Ἀντίοχον τὸν Σελεύκου, καὶ διατρίψαι παρ' αὐτῷ χρόνον ἱκανόν. Τὴν δὲ τῶν Φαινομένων ὑπόθεσιν παρέλαβεν ἐν αὐτῷ [8]) ὁ Ἀντίγονος δοὺς τὸ Εὐδόξου σύγγραμμα, καὶ κελεύσας ἕπεσθαι αὐτῷ. Ὅθεν τινὲς τῶν ἀπειροτέρως προσερχομένων ταῖς ἐξηγήσεσιν, ἔδοξαν μὴ μαθηματικὸν εἶναι τὸν Ἄρατον. Ὑπέλαβον γὰρ μηδὲν ἕτερον τῶν Εὐδόξου

---

Στενωπὸν — οὐ ῥύμην. Lex. Coislin. p. 483.

Στρατήγιον pro στρατόπεδον. H. Steph. de Dial. Att. p. 197. a.

p. 817. συλλεγείς] Thuc. p. 213, 70.

p. 821. συνεδικάζετο] Kuhn. ad Polluc. p. 944. n. 36.

p. 825. Σφέ] Abresch. ad Aesch. p. 119. Spanhem. Callim. p. 458. a. b. errat.

p. 828. Σχολαίτερον] Plato L. X. de Repub. p. 610. D.

p. 830. Σῶς] egregia Eust. Il. ν. p. 940. l. 45. Herodot. p. 9, 38. 79, 12. ζῶς. σῶς καὶ ὑγιής p. 246, 4. Plato L. VIII. de Rep. p. 566. B. Eurip. Hec. 993. Suppl. 643. 44. Iph. T. 533. em. Cant. dele γάρ. Rhes. 526. ad Thuc. p. 186, 70. Duker. σᾶ attice pro σῶα Moeris 347. Pierson. Thom. M. p. 851.

Oud. *σῶν* Plato I. p. 106. E. *τὸ ἀθάνατον σῶν κ ἀδιάφθορον* et Dem. 309. §. 236. *αὐτοὺς δεῖ σῶς ι ναι.* Dem. p. 56. §. 19.

T.

p. 833. *ἡ δάπις*] Alciph. Bergler. p. 49.

p. 834. *τὸ τάριχος*] Needham. ad Theoph. XXIII. et *ὁ* Athen. III. p. 119. B. et saepe ante. *τὸ* p. 119. e. *Ἀττικοὶ οὐδετέρως* Eust.

p. 835. *Τεθνήξεται*] Abresch. ad Aesch. p. 38 383.

ib. ἐν Γοργίᾳ] p. 469. D. ed. *τεθνήξεται.* vi ibi. Vide Graevium ad Soloec. p. 91. et 92.

p. 839. *Τέμαχος*] T. H. ad Plutum p. 305. Phavorin. plura. *τόμοι* et *τεμάχη* in uno l. de d versis Athen. VI. p. 268. f. *τόμος* frequens. vid. Amm. *Γλαύκου τέμαχος* Athen. VI. p. 240. B. *τ μαχος ἐγχέλιον* (L. *ίων*) ap. Athen. III. p. 96. *θύννου τέμαχος* p. 116. f. et p. 117. b. de piscib p. 118. e. salsamenta p. 120. a. *ὁ ταριχοπώλης* voc tur ab Antiphane *τεμαχοπώλης*. Plato T. III. Sym p. 191. E. *τεμμάχια ὄντα τοῦ ἄῤῥενος* — alias *τμ ματα. τεμάχια* ap. Athen. I. p. 5. f. VII. p. 29 b. *γόγγρου κεφαλὴν καὶ τὰ πρῶτα τεμμάχια.* 29 f. *τεμάχια.* ibid. d. *τέμαχος θύννου.*

p. 840. *Τέρα*] Alberti Gloss. p. 115.

p. 842. *ἀνυνήτοις*] L. *ἀνηνύτοις.*

p. 843. *τεῦτλον*] Diocles ap. Athen. II. p. 61.

ib. Τέχνη] *dolus.* H. Steph. de Dial. Att. p. 196.

p. 845. *Τήμερον*] Schol. Arist. Nub. 699.

Τιγγάβαρι, τὸ κιννάβαρι, Ἀττικοί. Διοκλῆς in Lex. Vet. apud Eust. Il. *Β*. p. 254. l. 51. H. Steph. de Dial. Att. p. 230. in fine ex uno Eust.

Τηνάλλως H. Steph. de Dial. A. p. 227. a.

p. 847. τινὸς αὐτῶν] L. τινὲς α. ex Phryn.

p. 848. οὐδέ γε πάτρως] Rutgers. notat p. 34. et Libanium hinc em.

p. 851. Τίκτειν] vid. ad Hebr. II. 5. γείνασθαι de muliere Moschus IV. v. 55.

ib. τίκτει μ'] L. τίκτε.

p. 856. Τονθρύζω] τονθρυστὴς A. Prov. 16, 28. 26, 20. 22.

[*Ab alia manu:*

Τρίβακον. vide Sch. Aristoph. ad Plut. v. 707.
Τροφαλίς. Sch. Theocr. Εἰδ. ια. v. 20.
Τύλιον attice. communiter τύλη. Hesych. in κνέφαλον.]

Τρίβων Att. vulgo τρίβακος. Eust. Il. ψ. p. 1450, 35.

Τρίγλαν Attici, non τρίγλην. Eust. Il. ο. p. 1018. l. 42.

p. 860. Τυπτήσει] vide ἐπὶ κόῤῥης. Plato T. III. p. 592. B. ἦ καὶ σύ με ἄκριτον τυπτήσεις. de his ad Pollucem p. 901. fine.

p. 861. Τυφώς] Eust. Il. β. p. 261. l. 49.

Υ.

p. 864. Ὑγιᾶ] Plato Timaeo p. 88. B.
p. 865. ὕειον] Abresch. ad Aesch. p. 398. 399.

ib. ἀλλ᾽ υἱόν] ὑὸς sine ι. Attici. Eustath. Il. *A.* p. 17. l. 39. Veteres. Od. *Γ.* p. 116. l. 16.

p. 868. τὴν ἐπάνω σχέσιν] T. H. ad Plutum p. 11.

Ὑπηρετοῦμαι. Schol. Soph. ined. El. 1519.

p. 871. Ὑπνομαχεῖν Ξενοφ.] p. 36, 23. vid. Hutchinson. p. 164.

p. 874. ὑποκρίνομαι καὶ τὸ ἀπ.] Alberti in N. F. p. 45, Eust. Od. *B.* p. 84. l. 30. [*ab alia manu:* sic et Schol. Homeri Il. *H.* v. 407.]

p. 875. Μαιάνδριος δὲ] p. 216, 23. Herod.

p. 876. Ὑποτίθησι] Bergler. ad Alciph. p. 107.

p. 879. ὑφίσταμαι καὶ τὸ ὑπ.] Iens. ad Lucian. I. p. 151. a.

Φ.

p. 884. τὸ ἐπικλήσεσι] an ἐπικηλ.

p. 888. καὶ μὴ φαντάσματα] Abresch. ad Aesch. p. 135.

p. 889. φαῦλος H. Steph. p. 157. c.

Φελλεῖς loca nitrosa. H. Steph. de Dial. Att. p. 196. c.

p. 890. καὶ τὸ ἄγε] Alberti in N. F. p. 452.

p. 891. ἐν Γοργίᾳ] frequentiss. alibi. et T. III. p. 286. c. φέρε ἔχοις ἂν εἰπεῖν. φέρε, quaeso, Soph. El. 238. v. 311. φέρ᾽ εἰπὲ v. 378. Antig. 540. Trach. 906. Ph. 434. O. 398. 544. 1152. εἶα λέγ᾽ Theocr. V. v. 78. Virg. quin age — si quid habes. φέρ᾽ ὦ Soph. Ph. 300. φέρ᾽ ἴδω τί σοι δῶ Arist. ap. Athen. p. 690, e. φέρε, ex. gr., Alcinous p. 341. a. φέρε Σωκράτης p. 345. f. ridicule Spanhem. Callim. p. 150. fine.

φέρε γὰρ excitantis est formula. Markl. Lys. p. 157, 2. φέρε ad plures. Dem. 553. §. 69. Arist. Θ. 785. ἄγε Arist. Ἐκ. 507. Aristid. I, 2. m. ἄγε ad duo. Arist. Ὀρν. 434. et in Schol. al. l. v. 657. et 686. ἄγε δὴ ad plures. Orac. Paus. 840, 6. φέρετε Herod. 258, 24. ἄγετε δὴ Xen. 207, 31.

p. 891. Αἰσχύλος] Abresch. ad Aesch. p. 105.

p. 892. Φερεφάττα — Περσήφασα] Egregia Spanhem. ad Ranas 683. Περσέφασσα Soph. Antig. v. 906. ubi vid. Tricl. Aesch. Χοη. 488. Eur. Or. 962. Sch. Arist. Θ. 294. Plato Cratylo p. 404. C. Φεῤῥέφαττα nomen plerique formidant. et ita et mox. Φερεφάττιον Demosth. p. 689. §. 13. Vales. ad Harp. p. 351. Vid. Eust. Il. ι. p. 668. l. 42. Clem. Al. p. 14. l. 7. Eur. Hel. 174. ap. Suidam in λίχνος — τὰ Φ. ὄργια θεάσασθαι.

p. 893. τὸ φθάνειν] ἔφθακα Thom. Schol. ex MS. habet T. H. ad Plutum v. 1103. Herodian, Piersoni 452. Eurip. Alc. 662. φυτεύων παῖδας οὐκ ἔτ' ἂν φθάνοις, celeriter procrea. Casaub. ad Eq. Arist. 931. φθάνειν τι ποιεῖν, summo studio contendere, ut quid facias — est et antevertere — nullum verbum Lat. par. Cum partic. Xenoph. 261, 3. 296, 10. 376, 8. ἔφθη διαβὰς Herod. p. 354, 8. p. 549, 4. μὶν ἐπιθέοντας φθάς. 551, 19. cum partic. p. 361, 14. em. Isocr. 183. c. Thuc. p. 324, 32. οἰόμενος φθήσεσθαι ἀπελθών. 454, 27. τὰ μὲν λήσουσιν ὑμᾶς· τὰ δὲ φθήσονται. Eurip. Or. 1225. ne quem ἐλθὼν εἰς οἴκους φθῇ. em. Plato T. II. Polit. p. 293. E. σμικρόν γε ἔφθης με ἐρόμενος, ὦ Σώκρατες, me paululum antevertisti. isto loco nixus alium in eodem dialogo p. 266. D. ἵνα μὴ μεμφῇς ἐρωτήσας in notis p. 18. a. praeclare emendat Steph. ἵνα μή με φθῇς. T. III. p. 185. E. οὐκ ἂν φθάνοις λέγων. ad Lucian.

III. p. 419. l. 27. non effugies, quin. p. 214. E. οὐκ ἂν φθάνοιμι Serr. hac in re non deero. Xen. 434, 7. Schol. Soph. Trach. 575. ἔφθασε γὰρ ὁ Ἡρακλῆς τοξεύσας αὐτόν. Sic ad v. 946. Heath. ad Eur. Suppl. v. 1219. Iphig. T. 245. Troad. 456. Heracl. 721. Eur. Or. 934. οὐ φθάνοιτ' ἔτ' ἂν θνήσκοντες. Or. 1589. Φοιν. 992. κἂν μὲν φθάσωμαι. et Φοιν. 1296. Med. 1169. μόλις φθάνει μὴ χαμαὶ πεσεῖν. Xen. 169, 14. φθάσαι πρὶν παθεῖν. Arist. Π. 485. οὐκ ἂν φθάνοιτον τοῦτο πράττοντες. 685. μή φθάσειέ με ἐλθών. Π. 875. 1103. ἀνέωξάς με φθάσας, Xen. 434. ὃς ἂν φθάνῃ τοὺς φίλους εὐεργετῶν. Lycurg. p. 166. 8. ἔφθασε καταφυγὼν εἰς τὸ ἱερόν. Nepos: paucis ante gradibus, quam qui sequebantur, confugit. Dem. 328. §. 68. ὀργὴ φθάσασα τὸν λογισμόν. ib. 329. §. 73. ἐφθακέναι ἀδικοῦντες ap. Dem. p. 140. §. 72. Longin. 27, 2. ἔφθακεν ἄφνω τόν. ἕπομαι τᾷ ἐπιστολᾷ, σχεδὸν δ' αὐτὰν καὶ φθάσω ap. Plut. II. p. 211. c. Moeris 396. φθῶσιν — φθάσωσιν.

p. 896. Φθοῖς] T. H. ad Plut. v. 677. Eust. Il. γ. p. 306. l. 9. Od. ξ. p. 533. l. 52. ap. Athen. XI. p. 489. D. τοὺς φθόεις κυκλοτερεῖς καὶ ἀστέρας ἔχοντας, οὓς καὶ καλοῦσι σελήνας. Chrysippo Tyanensi Lib. XIV. p. 647. D. φθοῖς describitur. Utrumque locum protulit jam Spanhem. in Plutum v. 676. φθοῖς Clem. Alex. p. 19. l. 15.

p. 899. Φοιτᾶν — ἰόντων] T. H. p. 53. d. Attici recentiores et Theocr. 11, 98. Eust. Il. ι. p. 625. l. 44. φοιτῶν — ταῦρος Soph. Trach. 11. φοιτᾶν τινὶ et μαθητεῦσαι τινὶ Plut. 2. p. 832. C. εἰς τὰ προςήκοντα διδασκαλεῖα Dem. 182. §. 458. παρὰ Σκύλλιν καὶ Δίποινον Paus. 419. a. sic ἔρχεσθαι παρά τινα Aesch,

p. 2. f. T. H. ὡς Συάδραν τε καὶ Χάρταν Paus. 461. b. Paus. 457. m. ἔμαθε παρὰ Κριτίᾳ — ἐδιδάχθη παρ' Ἀμφίονι. Isaeus p. 77, 33. τῶν διδασκάλων ὅποι ἐφοιτῶμεν. Platonis Sympos. T. III. p. 205. B. Socrates ad mulierem Diotimam: si id nossem, οὐκ — ἐφοίτων παρά σε αὐτὰ ταῦτα μαθησόμενος. Epist. Socr. p. 29, 20. Antisthenes παρά σε φοιτᾷ. ap. Athen. XIII. p. 584. C. in scholam. ἀποφοιτᾷν τὸ παύσασθαι μανθάνοντα Eust. Il. σ. p. 1227. l. 32. adhibet Dinarchus ap. Harp. in χρυσοχοεῖν em. φοιτητὴς de discipulo et φοιτᾷν Moeris 400. n. συμφοιτητὴς Lennep. Phalar. p. 240.

ib. ἐν Γοργίᾳ] p. 456. D. ed. Serr.

p. 902. Φροῦδος] ex πρόοδος Duportus ad Theoph. p. 396. ex πρὸ ὁδοῦ, qui evanuit, Pierson. Moer. 383. φροῦδος Soph. Aj. 746. El. 509. 854. 1158. φροῦδος αὐτὸς εἶ θανών. Ant. 15. φροῦδός ἐστιν Ἀργείων στρατός. Ant. 1259. ἡ γυνὴ πάλιν φρούδη, πρὶν εἰπεῖν. νοῦς φροῦδος in Scyriis Soph. ap. Clem. Al. p. 73. l. 26. φροῦδος ἔσται κυμάτων βυθός Soph. ap. Clem. p. 722, 1?. Phil. 425. ἐπεὶ θανὼν Ἀντίλοχος αὐτῷ φροῦδος. 563. φροῦδοι διώκοντές σε. Schol. ἀφανεῖς. Oed. Col. 653. φροῦδά τ' ἀπειλήματα. Soph. Aj. Locro. τὰ πολλὰ Aesch. Suppl. 870. Eur. Alc. 820. And. 1050. Or. 719. Hec. 160. φροῦδος πρέσβυς, φροῦδοι παῖδες. 334. et Schol. πρόοδος, προῦδος, φροῦδος. Or. 390. τὸ σῶμα φροῦδον, morbo evanuit. em. Or. 1379. φρούδα γᾶ. Med. 139. φροῦδα τάδ' ἤδη. Med. 492. ὅρκων δὲ φρούδη πίστις. 722. φροῦδός εἰμι πᾶς ἐγώ, dubium quo sensu. 1110. em. Alc. 95. Eur. Andr. 73. 1078. φρούδη μὲν αὐδή, φροῦδα δ' ἄρθρα μου. 1219. Iph. T. 155. abiere φροῦδοι. 1289. 1294. Rheso 662. abest Hector. 866. φροῦδος ὢν οὐ φαίνεται. Troad. 41. φροῦδοι δὲ π. mortui sunt. 1071. φροῦδαί σοι θυσίαι. 1188.

φροῦδά μοι. Arist. N. 716. φροῦδα — φρούδη. B. 94. ἃ φροῦδα θᾶττον. Kuster. quam incredibili gaudio gestiunt qui subito in aërem discedunt prae animi levitate. Spanhem. ad Nubes v. 716. Philostr. 791. f. φροῦδοι πόδες, φρ. γλουτοί.

ib. ἀφανής] et ἐκποδών. Abresch. ad Aesch. p. 325.

p. 907. καταδηλαποιῶ] δηλοπ.

X.

p. 908. Χαίρειν] De formulis Platonis et Epicuri Laert. p. 199. 200. ubi verbosa est nota Mer, Casaub. vid. Menag. in Laert. p. 159. refutat Thomam. ad Luc. 1, 28. Act. 23, 26. 1. Cor. 1. v. 3. Plutum 302. Eust. Il. ψ. p. 1392. l. 18. Alberti in N. F. p. 144. Stolberg ad Aj. p. 129. et de εὖ πράττειν. — Morus ad N. F. p. 271. Colomes. Observ. p. 656. χαίρειν sc. κελεύω. plene Arist. Ὀρ. 1580. τὸν ἄνδρα χαίρειν οἱ θεοὶ κελεύομεν. χαίρειν dicebant sibi occurrentes. Persae (Herodot. p. 56, 15.) vel osculantur similes, vel malas — vel adorant. p. 118, 1. Aegyptii ἀντὶ τοῦ προςαγορεύειν in via προςκυνέουσι. vide quo modo. Ἄμασις Πολυκράτει ὧδε λέγει. Herod. p. 175, 48. praefigitur epistolae. Gale Suidam citat. p. 207, 4. Oroetes Persa eidem. 294, 33. Βασιλεὺς Δαρ. τάδε λέγει. γαθεῖν in epistolae inscriptione ap. Athen. III. p. 98. f. em. ἥδεσθαι Epist. Socr. p. 74, 14. 2. Macc. IX, 19. Iudaeis Antiochus πολλὰ χαίρειν καὶ ὑγιαίνειν καὶ εὖ πράττειν. cap. XI. plures epistolae. ibi una v. 28. incipit: Si valetis, bene est, ego quidem valeo. 3. Macc. III. 12. 13. et VII. 1. 2. in epistolis Ptol. Philopatoris: Τοῖς — χαίρειν καὶ ἐῤῥῶσθαι. Ἐῤῥώμεθα δὲ καὶ αὐτοὶ καὶ τὰ τέκνα ἡ-

μῶν. — Βασιλεῖ Ἀντιγόνῳ Ζήνων χαίρειν Laert. VII. 8. De salutandi formulis χαίρειν, ὑγιαίνειν, Lucianus I. p. 724. et seqq. multa.

p. 913. Χάριν οἶδα] Athen. XIII. p. 577. b. Muncker. ad Liberal. p. 235.

p. 914. Χθιζός] Plato T. II. p. 141. D. χθιζά τε καὶ πρωΐζα γεγενημένα.

ib. Χιτὼν] Eust. Il. σ. p. 1226. l. 44. Sch. Hom. ad Il. β. v. 42. ἰστέον δέ, ὅτι ἐπὶ μὲν ἀνδρὸς χιτῶνα λέγει, ἐπὶ γυναικὸς δὲ πέπλον. Plato Epist. XIII. p. 363. A. dabimus Cebetis filiabus χιτώνια τρία ἑπταπήχη, μὴ τῶν πολυτελῶν τῶν Ἀμοργίνων, ἀλλὰ τῶν Σικελικῶν τῶν λινῶν.

p. 915. ἀλλὰ χλεύη] Contra Pollux VIII. §. 78.

ib. Αἰσχύλος] Abresch. ad Aesch. p. 64.

Χρέως Il. ν. Eust. p. 939. l. 1.

p. 918. Σοφοκλῆς ἅπαξ] Antig. 747. Ἄλλῳ γὰρ ἢ 'μοὶ χρή. Oed. Tyr. 833. Soph. Aj. καλῶς ζῆν τὸν εὐγενῆ χρή. [v. 480.]

p. 920. καὶ ἀντὶ τοῦ πρέπει] T. H. ad Plutum p. 469. a.

p. 922. Χρήσθων] θεασάσθων Plato L. III. de Repub. p. 415. D. Ib. ποιησάσθων.

ib. Πλάτων] vide in emend. ad Plut.

p. 929. Σοφοκλεῖ] v. 777.

Ψ.

p. 929. ψυχθῆναι] Ψυκτὴρ, non ψυγεὺς, Athen. XI. p. 503. a.

Ω.

p. 931. ἐκίνουν — κινούντων] δι — δι.

ib. ὠνήμην] Eust. Il. ρ. p. 1123. l. 36.

[ab alia manu: ᾿Ωμόφρων Schol. Soph. ad μαστιγο. v. 948.]

p. 932. τὸ ῾Ως] ὡς rarissime regionum urbiumve nominibus adjungitur. T. H. Miscell. V. T. III. p. 56. [plurima tamen loca dabit Abresch. Misc. Nov. T. III. p. 11.] Herod. p. 140, 38. e MS. ὡς Μιτυλήνην. Thuc. 352, 69. ἐς ᾿Επίδαυρον. unus MS. ὡς male. errat Wasse. recte Duker. omnibus istis locis de hominibus dicitur. p. 526, 66. ἥκοντος ὡς τὴν Μίλητον ἐπὶ τὸ ναυτικόν. em. Aeschin. p. 31, 7. ὡς τάχιστα ἥκομεν ὡς Μακεδονίαν. non pro εἰς vel πρὸς dici, haec tamen omitti per ell. Ernesti ad Memor. Xenoph. p. 90. 91. [II, 7. p. 95. 96. ed. V.] Aeschines Socrat. II. p. 36. miserunt ὡς ἡμᾶς πρέσβεις. ad nos. nunquam, quod sciam, ita Plato. Errat vir doctus in Miscell. T. IV. p. 208. ubi? recte B. ὡς non solet inanimatis addi. Saepe alii. Bergler. ad Alciph. p. 114. Bos. Exercit. p. 84. Athenaeus I. p. 4. A. ὡς αὐτὸν p. 6. A. ὡς τὸν νυμφίον p. 48. D. ὡς τὸν βασιλέα p. 95. E. ὡς ἡμᾶς V. p. 188. B. ὡς τὸν Μενέλαον VI. p. 243. D. ὡς τὸν ᾿Οφέλλαν VIII. p. 349. D. ὡς Βηρισάδην regem. Soph. Trach. 542. ἦλθον ὡς ὑμᾶς. Eur. Hec. 992. ὡς σέ. ὡς Χίλων Callim. fragm. 89. Bentl. Lege ὡς αὐτὸν in loco Galeni ap. Menag. in Laert. p. 242. b. Eur. Suppl. 515. non venit πρὸς σὲ et ὡς ἔμ᾽. v. 562. ὡς εἰς ἔμ᾽ ἐλθών. Iph. T. ὡς ὑμᾶς βλέπω. Arist. Vesp. 409. ὡς ἐπ᾽ ἄνδρα. Pluto v. 1202. veniet ὡς σέ. 1204. ὡς ἔμ᾽. Nub. 256. 1164. Ran. 1557. ὡς ἡμᾶς Equit. 499. ὡς βασιλέα Ach. 65. ὡς Εὐριπίδην 393. Pace 105. ὡς τὸν Δί᾽ ἐς τὸν οὐ-

ϱανόν. — ὡς αὐτὸν etc. Heliodor. Exc. p. 47. ad Phoen. Thuc. p. 88. ὡς βασιλέα et saepius. p. 140. 48. ἐς τὴν Ἀσίαν ὡς βασιλέα. 50. ὡς Σιτάλκην l. 55. ὡς Φαρνάκην. l. 56. ὡς βασιλέα. ὡς τοὺς Ἀθηναίους p. 144, 24. p. 187, 5. ὡς Πάχητα. 285, 60. ὡς Περδίκκαν καὶ ἐς τὴν Χαλκιδικήν. male Abresch. ἐς ejicit. vide ibi notata.

ib. εἰς Ἄβυδον] L. ὡς Tib. Hemst. Misc. Observ. Vol. V. T. III. p. 56.

p. 935. διόπερ τοὺς χ] H. Steph. de Dial. Att. p. 196. b.

ib. Αἰσχύλος] Abresch. ad Aesch. p. 235.

p. 936. ὦχρος δέ μιν] τέ. v. 35.

De Thoma vid. in Atticistis. Legit Thomas paucula Platonis opera, maxime Gorgiam. Cl. Abresch. Anim. ad Aesch. p. 2. Thomam dicit in citandis scriptorum locis negligentissimum, quod saepe ostendit versus tribui Aeschylo, qui sint Euripidis, Soph. et vice versa. p. 105 etc. Elsnerus (qui tamen, ut puto, Thomam nunquam citat) T. II. Observ. p. 195. 196. temerarii Graeculi nulla fere apud Graece doctos est auctoritas, qui infinitis erroribus omnes paginas commaculaverit, qualibus m. scatet Luciani Soloecista. vid. p. 301. et alibi p. 310. non legit. (citat T. 2. p. 231. credo ex aliis). Alberti in N. F. p. 163. fallitur accuratissimus ceteroquin Gramm. p. 195. habet testimonium Scaligeri. p. 444. descripsit Moerin. H. Steph. de Dial. Att. p. 155. a. Thomae testimonium parvi apud me ponderis est ob eam quam alibi afferam rationem. ib.

et p. 156. confutat aliquot eius observationes. T. H. ad Lucian. p. 512. a. Decepit Thomam vernaculi sermonis non callentissimum — prava lectio. — Thomas M. scripsit Synopsin vitae Aristoph. et argumenti in Plutum. Scholia in Aristoph. quae forte habet MS. Cod. Leid. vid. T. H. ad Plutum p. 422. et 425. — In Miscell. Obs. V. V. T. III. p. 28. etc. Lexiphili (Io. Chr. Wolfii, ed. Libanii) notitia edd. Thom. Mag. et consilium, quomodo accuratior parari possit. MS. Vossianum contulit Alberti in N. F. p. 173.

ACROASIS

CORAM

CELSISSIMIS PRINCIPIBUS

DOMINO

FRIDERICO CHRISTIANO

ELECTORATUS SAXONICI HEREDE

AC

DOMINO

XAVERIO

SAXONIAE DUCE

CLEMENTISSIMIS DOMINIS

RECITATA

D. XV. OCTOBR. A. C. CIϽDCCXLIV.

A

IO. AUGUSTO ERNESTI

HUMANIOR. LITERAR. PROF.

Cum primum mihi, superiori anno, esset potestas facta, coram vobis dicendi, S. P. C. D., meministis fortasse, a me esse praestantiam pacis artium demonstratam, effectumque, ut Princeps iis excellens non modo salubrior amabiliorque, verum etiam admirabilior videretur eo, qui militari gloria splendet. Ea disputatio cum non adversis auribus accepta sit, nisi me cupiditas mea VOBIS vel aliqua ex parte probandi fallit; coepi requirere aliquem antiquae memoriae Principem, pacis artibus praestantem, quem vobis hoc tempore spectandum proponerem: non, quo necesse sit e longinquo tale repetere exemplum, cum vivum spiransque habeamus in AUGUSTO, PATRE VESTRO, communisque Patriae, INDULGENTISSIMO, aliquando etiam habituri in TE, CELSISSIME FRIDERICE; sed ut sit aliquod e disciplina mea argumentum, de quo possint quaedam a me non inepte disputari. Sed tale exemplum circumspicienti subiit animum memoria Lectionis superiori vere in coetu adolescentium habitae de artibus politicis, quibus Caesar Augustus usus est in Summo Imperio Romae sibi comparando. Nam cum, in Historia Universa e fontibus repetenda, ad Actiacam Augusti victoriam venissem, essetque de Reipublicae Romanae conversione, quae tum facta est, exponendum, non modo veteris et novae reipublicae forma erat describenda, sed etiam quomodo et quibus artibus veteris formae commutatio esset facta, explicandum, ut sic

tantae rei causae intelligerentur, quibus cognoscendis historiae utilitas maxime continetur. Eam igitur Lectionem ac disputationem coram VOBIS, C. P., repetere constitui: non, quo eam dignam Vestris auribus putem, sed, quod ea non abhorret a personis studiisque VESTRIS, inprimisque ut sic rationem VOBIS quodammodo reddam muneris, quod in hac Academia de voluntate PATRIS VESTRI sustineo, omnemque VOS historiae tradendae, omninoque disserendi modum meum perspicere possitis. Idque hoc facio libentius, quo magis spero, VOS, in ratione accipienda, non magis iudicium VESTRUM, quam facilitatem clementiamque in consilium adhibituros esse: quod ut faciatis, etsi supervacaneum videri potest rogare, in tanta VESTRA indulgentia, tamen, quoniam dulce est rogare eos, quos ames, quorumque bonitate confidas, vehementer rogo atque oro.

Sed, ut ea, quae a me dicentur, hoc facilius intelligi possint, resque ipsa hoc rectius explicetur, paucis ante est de reipublicae Romanae forma exponendum, quae ante libertatem oppressam fuit, tum, de Romanorum veterum ingeniis et moribus, quoad quidem ad hanc nostram disputationem pertinent.

Reipublicae igitur Romanae antiqua et post reges expulsos instituta forma, non simplex aut unius generis fuit, sed ex omnibus tribus illis formis, Monarchia, Aristocratia et Democratia sapienter mixta et temperata. Nam quaecunque uniuscuiusque commoda sunt et opportunitates, eas coniunxerant reipublicae illius auctores, vitiis et incommodis cuiusque sublatis. In eo autem delectu haec ratio habita erat, ut quae in unaquaque forma incommoda sunt, iis mederentur ea, quae ex reliquis duabus formis adsumta essent, ut pluribus demonstrat Polybius, qui ab

ista variarum formarum mixtura diuturnitatem istius reipublicae repetit. Nam primo, Consul is, apud quem fasces erant, sive, ut hodie loquuntur, qui praesidebat, speciem et pompam regiam habebat: ei omnes reliqui Magistratus, praeter Tribunos plebis, parebant: is Senatum convocabat, ad eum referebat, potestatem sententiae dicendae dabat, Senatores non obedientes coërcebat: Legationes in Senatum inducebat: populi conciones convocabat, leges ferebat, suffragiique ferendi potestatam dabat. Tum Consules, decreto bello et mandato, omnium rerum, quae ad bellum gerendum pertinebant, potestatem propemodum absolutam habebant cum jure vitae et necis. Quae omnia regio imperio, quam liberae reipublicae, similiora esse, omnes vident, fuerantque omnia olim Regum, in quorum locum successerant. Itaque etiam Cicero eorum imperium regium vocat. Quod si quis contra cogitabat, in Senatus potestate esse reditus omnes et aerarium, ab eo Legationes mitti et audiri, provincias cum exercitibus dari et adimi, pacis foederumque faciendorum potestatem tribui, et alia his similia ad Senatum pertinere; Aristocratiam Romae esse putare poterat, idque multi olim Graecorum existimarunt, hodieque non pauci credunt. Denique cum in populi potestate esset, magistratus et imperia dare, leges propositas vel accipere, vel repudiare, Senatus decreta abolere, bellum jubere, pacem vel ratam habere vel abnuere, judicia causarum publicarum exercere, magistratus ad disquisitionem vocare, et alia huius generis; facile aliquis, ista separatim intuens, in opinionem veniat, Democratiam seu populare imperium Romae valuisse. Fuit igitur reipublicae Romanae ex omnibus generibus composita forma, et quae potestas in aliis civitatibus uni sive homini, sive ordini permissa est, ea aequabiliter Ro-

mae Magistratibus, Senatui et populo, sed ea arte divisa fuit, ut nullius ordinis potestas in ullo genere facile locum haberet, si alterius vis obstaret, cum etiam legum, religionis tribunitiaeque potestatis remedia in promtu essent, si qua pars abuti potestate sua vellet.

Jam quod ad ingenia moresque Romanorum attinet, statim post expulsos Reges Brutus primum, deinde Valerius Publicola, variis artibus impleverant animos et odio regii imperii ac nominis, et amore libertatis, augendaeque potestatis suae aviditate, quam etiam tribuni plebis seditiosi aliique popularis benevolentiae captatores omnibus modis aluerant atque incenderant.

Itaque, si quis hoc cupiebat efficere, ut unus omnia in republica posset; ei non modo hoc agendum erat, ut cuique ordini suam potestatem eriperet, et ad se transferret, sed maxime artis erat, rem ita gubernare et moderari, ut aut non sentirent homines, quid ageretur, aut, si vel maxime sentirent, alius commodi spe aut alia aliqua specie honesta et probabili mitigarentur.

Atque alterum illud quidem ante Augustum conati erant inprimis duo, Sulla et Caesar, sub Dictatoris nomine: sed ita impotenter id et parum modeste fecerant, ut in summum odium incurrerent, alterque adeo ab ipsis amicis suis, quos plurimis beneficiis affecerat, interficeretur. Id intuens Augustus, cum, re deliberata et ab Agrippa ac Maecenate in utramque partem disceptata, et sibi tutius, et reipublicae salutarius iudicasset, si ea in sua unius manu esset, cogitabat, quibus artibus et summam potestatem sibi adsereret et salutari aliqua fraude falleret avidos libertatis animos, sibique adeo imperium etiam firmaret, in quo prope plus inesse, quam in

comparando, videtur. Atque de his artibus nunc, ut propositum est, dicemus.

Primum igitur *Consulibus* omne genus potestatis ademit, quod ad imperium proprie pertineret, in primisque omnem rei militaris potestatem. Nam ipse solus exercitus scripsit, solus, quo voluit, misit, solus, quibus placuit, commisit, imperio tamen, quod proprie dicitur, sibi servato, tribunos militum et praefectos solus creavit, triumphos denique sibi et suae familiae vindicavit. Et quoniam Consules olim potestatis suae partes quasdam aliis magistratibus concesserant, iurisdictionem Praetoribus, Censum morumque magisterium Censoribus, provincias denique iis, quibus Senatus voluisset, eadem ratione in his est usus. Nam *Praetorum* quidem potestatem multis modis minuit. *Censores* autem omnino sustulit, sibique Censum, senatus iudicumque lectionem et equitum recognitionem arrogavit, ut ipse solus movere senatu posset et ordine equestri, eique adscribere, quos vellet. Totam porro *provinciarum rationem* ita commutavit, ut eas prope omnes in potestate sua haberet. Denique *Tribunos plebis*, quorum extremis reipublicae temporibus permagna potestas fuit, reliquit ille quidem, exemplo institutoque Sullae, sed ita, ut praeter nomen inane nihil haberent, cum ipse vim omnem ad se transtulisset.

Jam, quod ad *Senatum* attinet, primum ei ademit omnem in exercitus potestatem: deinde, provincias cum Senatu est partitus, sed ita, ut ipse majores et potentiores teneret, Senatui autem relinqueret exiguas, in quibus nemo materiam potentiae comparandae haberet. Aerarium porro reliquit ille quidem Senatui verbo, re sibi vindicavit, cum ipse pecunias erogaret, quas vellet, reditusque pro lubidine

vel augeret vel minueret. Legationes vero haud dubie et ad ipsum ab externis regibus populisque mittebantur, et ab ipso responsa accipiebant. Totum denique pacis bellique arbitrium sibi vindicavit.

Populi vis maxima in Comitiis erat, ut diximus, quibus Magistratus crearet, legesque vel acciperet vel rejiceret. Ea quidem populo reliquit, sed ita, ut, quod ad primum genus attinet, in quibus Magistratus crearentur, uteretur instituto Iulii Caesaris, et Consules ipse solus, nullo populi interventu, designaret, ceteros autem Magistratus cum populo partiretur, ita ut dimidium numerum ipse, dimidium populus crearet. Ceterum ille populo, quos volebat, commendabat, ita efficaci commendatione, ut quos ille commendasset, ii haud dubie crearentur; quippe etiam, ut e Lege Regia, quam vocant, intelligitur, cautum erat, ut quos ille commendasset, ii, honoris causa, crearentur. Vere igitur dici potest, istud genus comitiorum totum in eius potestate fuisse. Jam leges neque latae sunt ad populum, nisi quas ipse voluisset, neque ejus jussu latas populus rejecit, cum neque dissuadere quisquam auderet, nec tribuni intercedere possent, eique ab ipso populo et senatu potestas leges pro arbitrio sanciendi data esset, ut Dio Cassius et Lex Regia docent. De bello denique, pace et foederibus ipse libere statuebat, earum rerum potestate ipsi lege permissa.

Jam, ista potestate ut eo liberius uti posset, multa ille partim ipse instituit, partim, ut a Senatu populoque institueRenter, perfecit. Atque ipse quidem primus instituit hoc, ut miles perpetuus aleretur, in quo maximum est imperii firmamentum. Milites autem ita per omne imperium Romanum divisit, ut nuspiam aliquid contra ipsum moveri posset. Instituit etiam quatuor classes perpetuas, quibus omne

mediterraneum mare teneret: sed maxime in eo Italiae urbisque rationem habuit, quod ibi sedes Imperii esset. Itaque duas majores classes habuit in Italiae ora maritima, alteram Miseni, alteram Ravennae: Romae autem milites corporis custodes per totam urbem distributos. Et, quoniam magna erat vis religionis etiam in republica, cavendum sibi existimavit, ne inde sibi aliquid impedimenti objiceretur. Itaque Pontificem maximum se creari curavit, eoque nomine omnem religionem in potestatem accepit: idque institutum sequentes deinde Imperatores ita retinuerunt, ut cum Imperio Civili semper Pontificatum Maximum susciperent; eiusque annos non minus, quam imperii, in numis numerarent. Sed ne quicquam, quod instituisset fecissetve, aut reprehendi, aut tolli posset, perfecit primo hoc, ut Kalendis Ianuariis in acta sua populus iuraret; deinde, ut legibus omnibus solveretur, quibus ceteri obnoxii essent. Quibus duabus rebus consecutus est id, in quo haud dubie summa vis Principatus inest, ut et ipse legis vim haberet, et supra leges omnes positus esset.

Videtis, Celsissimi P., nullam esse regii summique imperii partem, quam Augustus non magistratibus, Senatui populoque ademerit, et sui arbitrii fecerit. Nam cetera quae sunt quidem conjuncta cum imperio, sed tamen ad summam rei nullum momentum faciunt, ut convocare Senatum, referre ad Senatum, jus dicere et similia, reliquit ille quidem magistratibus, sed cum iis communiter usurpavit. Vere itaque Tacitus dicit, eum munia Senatus, magistratuum, legumque in se, nullo adversante, traxisse.

Sed cum ista omnia obtineret, illud tamen timendum videbatur, ne ex ea re invidia, ex invidia

odium, ex odio periculum nasceretur. Atque ego non inficior, ea tum jam tempora fuisse, quibus tale quid minus, quam ante, periculosum esset. Nam, ut Tacitus monet, ferocissimus quisque bello civili, aut proscriptione interierat, provinciaeque novum hunc statum non abnuebant, suspecto senatus populique imperio, ob certamina potentium et avaritiam magistratuum, adversus quam legum auxilium invalidum erat. Sed tamen idem ille Tacitus non negat, artes quasdam adhibitas esse, quibus imperium novum non modo tolerabile, sed multis etiam amabile redderetur. Saltem Augustum, qua erat sagacitate, vidisse oportet, opus esse talibus delinimentis; quippe non erat quare in iis excogitandis adhibendisque tam diligens esset, nisi idoneae gravesque causae subessent.

Primum autem harum artium genus illud est, quod cernitur in nominibus deligendis, sub quibus abscondidit novae potentiae magnitudinem, quorumque lenitate rei gravitatem mitigavit. Nam primo, omnia ea nomina, quae ingeniis Romanis invisa aut suspecta essent, etiam oblata, repudiavit, ut nomen Regis, Dictatoris, quod tyrannide Sullae et Caesaris invisum factum erat. Ne Dominum quidem se appellari passus est, quod id nomen e consuetudine loquendi, quae tum erat, servo opponebatur. Nomina autem, quibus usus est, ea erant et mirifice apta summo imperio indicando, et non invisa aut suspecta. Primum erat Principis. Cuncta, inquit Tacitus, nomine Principis sub imperium accepit. Eo nomine, quod aptissimum erat ei, qui summus in republica esset, ideoque nunc quoque servatur, antea appellati erant etiam privati, qui summis honoribus perfuncti essent et res magnas gessissent, verbo, quos Proceres appellamus. Facile igitur latere sub hoc nomine regia potestas poterat: quippe in nomi-

nibus vulgus haeret, rem pauci perspiciunt. Sed cum duplex imperium esset, alterum in urbe, alterum extra urbem in exercitus provinciasque; utrique nomina apta, sed ea quoque usitata in libera republica et mitia tribuit. Nam imperium urbanum tribunitiae potestatis nomine usurpavit, ab altero se Proconsulem appellari Senatusconsulto curavit. De tribunitia quidem potestate Tacitus: Id summi fastigii vocabulum Augustus reperit, ne Regis aut Dictatoris nomen assumeret, ac tamen appellatione aliqua cetera imperia praemineret. De Proconsulatu auctores sunt Dio Cassius et Suetonius. Jam satis constat, Tribuni nomen olim datum esse iis, qui proprie ne magistratus quidem essent, nec magistratuum insignia haberent, sed populi libertatisque tuendae curam sustinerent. Non itaque magis populare aut minus invisum nomen assumere poterat. Sed erat idem tamen illis temporibus aptum summo imperio significando; quod Tribuni sacrosancti, hoc est, inviolabiles erant, adeoque quandam majestatem habebant: deinde, quod eorum potentia ita creverat paullatim, ut leges ferrent, Senatum convocarent ad eumque referrent, summos magistratus in carcerem conjicerent, neque quicquam in republica fieri posset, quod illi nollent. Proconsulis nomen autem datum ante erat iis, qui post Consulatum in provinciam irent; tum autem omnibus iis, qui a Senatu in provincias sibi ab Augusto relictas mitterentur. Nomen igitur ipsum neminem poterat offendere. Quoniam autem olim Proconsules provincias cum imperio et civili et militari obtinuerant, eo nomine, quod simpliciter, sine provinciae alicuius mentione, assumtum erat, commode imperium in omnes provincias exercitusque exprimebatur, quod infinitum imperium Latini dicunt, eiusque imperii Proconsularis nomine Augustus et suc-

cessores Imperatores sunt dicti, ut docet Pagius in Critica Baroniana.

Cetera nomina praetereo lubens, ad aliud artium genus festinans, quod cernitur in quibusdam Augusti institutis cum callida quadam moderatione conjunctis. Horum primum posuerim, quod illam potentiam tantam ita paullatim assumsit, ut pauci vel animadverterent, vel magnopere offenderentur. Nam in omni re gravi, si totum simul petas, facile offendas; sin carptim et per exiguas partes, facile trahas. Ita deinde quasi refugiens recepit, ut non petiisse, sed accepisse, et velut grave onus subiisse atque adeo beneficium dedisse videretur. Nam primo, cum post Actiacam victoriam in urbem redisset, in Senatu habuit orationem fictam, qua se depositurum imperium dicebat, et veterem reipublicae formam revocari passurum, omnibus bellis finitis, et universo imperio Romano pacato. Sed cum alii Senatores addicti essent Augusto, quippe opibus et honoribus ab eo aucti, ceteri autem, qui sentiebant, simulata mente locutum esse, cavendum sibi existimarent, ne intellexisse viderentur, omnes coeperunt rogare, ut imperium summum perpetuo retineret. Augustus diu repugnanti similis, tandem se vinci passus est, sed ut mimum perageret, tantum in quinque annos, velut tum depositurus. Atque hanc rationem deinde per totam vitam servavit, ut semper tantum in certos annos imperium iterum oblatum reciperet.

Paullo post, cum provincias cum Senatu partiretur, eo modo, quo ante dixi, ut majores sibi deligeret, volebat etiam in eo liberalis et minus cupidus imperii videri; primo, quod non omnes assumeret, deinde, quod majores potissimum. Id enim se facere propterea, ut Senatus magna molestia liberatus,

eo melius frui pace parta posset, ipso labores et pericula sustinente; cum re vera hoc modo Senatum imbellem efficeret. Cum autem Magistratibus potestatem maximam eriperet, fallebat eos, relictis primo potestatis generibus iis, a quibus nihil periculi sibi esse poterat, deinde omnibus priscis honoris insignibus concessis: quippe intelligebat, vulgus, si in externa Magistratuum specie nihil mutatum videret, e qua totum pendet, omnia salva crediturum.

Sed ut quamplurimos et ad comiter colendum imperium novum alliceret, et sibi devinciret; primo, quicunque proni ad obsequia erant, eos honoribus opibusque augebat: deinde nova honorum genera excogitabat, verbo, ut quamplurimi reipublicae participes essent, re vera, ut plures potentiae suae adjutores haberet. Nam multis, quibus Consulatus et Praetura dari non poterant, propter multitudinem petentium, iis, novo more, Ornamenta Consulum et Praetorum dabat (*den Titel und Rang*), qui postea Praetores et Consules Codicillares dicti sunt. Dedit vero etiam nova honorum nomina cum novis muneribus, in quorum numero Praefectus Urbis, Curatores viarum, alvei Tiberini aliique fuere. Atque hi ut nihil ipsi periculi attulerunt, ita multum ad potentiam eius stabiliendam profuere; eademque causa inductus postea Constantinus et Theodosius numerum munerum publicorum prope in immensum auxerunt.

Sed ista ad honestiores nobilioresque cives pertinebant. Restabat, ut etiam plebem militesque a sensu novi imperii et sublatae libertatis avocaret. Id consecutus est omnis generis ludorum et spectaculorum frequentia et magnificentia, largitionum denique multitudine. Nam plebi urbanae saepe frumentum, vinum, carnes, oleum, pecuniamque copiose divisit,

militibus autem et pecuniam distribuit, et missionum commoda auxit, ut quicunque missus esset, honeste posset vivere: eaque re etiam homines ad militiam promtiores alacrioresque fecit.

Neque vero hic commemorabo ceteras artes, quibus securitati imperii, omniumque bonarum rerum copiae prospexit: neque dicam, quot, quamque salutaribus legibus reipublicae consuluerit, quam diligens in jure dicundo, judiciisque exercendis, quantus fautor denique et adjutor omnium bonarum artium ac literarum fuerit; quae cum in omni Principe laudentur et amentur, tum in Augusto plurimum potentiae firmandae profuerunt. Fuit enim hoc tempore illud tantum propositum, ut de iis artibus diceretur, quae proprie ad imperium comparandum retinendumque pertinuerunt.

Sed hic existit magna quaestio, an recte fecerit Augustus, cum, formâ reipublicae mutatâ, omne imperium ad se traxit: de qua facile video posse in utramque partem multa disputari. Ego, qui eam rem non subtili illa philosophorum trutina pendo, quae interdum a vitae humanae ratione abhorret, sed populari historicorum, ego, inquam, etsi artes illas Augusti non omnes usquequaque probem, tamen valde inclinor in eam partem, ut Augustum et liberaliter et recte fecisse putem, cum, sublata sensim libertate, summum imperium ad se ratione quadam modoque traxit. Quid enim humanius fieri potest, quam quod vi, uno impetu parare possis, id paulatim et non nisi oblatum ab iis, in quorum manu est, recipere, in eoque ea moderatione uti, ut nemo sibi injuriam factam queratur, sed omnes honoribus aut beneficiis se auctos gaudeant? Jam satis constat, eas interdum incidere civitatibus ingeniorum, morum temporum-

que commutationes, ut libertatem homines ferre non possint. Quod cum accidit, non sane in vitio poni potest, sed adeo debet laudari, si quis vir magnus, rebus gestis clarus et tantae rei par, potest efficere, ut, sine armis et vi, volentibus ipsis civibus, imperium ad unum deferatur. Laudatur ab omnibus Deioces, qui, cum videret, Medos libertatem ab Arbace, sublato Sardanapalo, acceptam, sustinere non posse, idque donum perniciem eis allaturum, artibus honestis perfecit, ut sibi imperium regium mandaretur. Romani, cum Persea Regem Macedoniae sustulissent, libertatem Macedonibus dederant. Sed non ea erant Macedonum ingenia, quae caperent libertatem. Itaque discordiae et bella intestina orta, ut Romani, libertatis auctores, cogerentur ipsis libertatem adimere, et praeponere, qui regia vice ipsis imperaret. Idem in Cyrenaica accidit; et eius generis exempla possem permulta ex historia vetere commemorare. Atque ejusmodi tum Romanos, ejusmodi tempora fuisse, nemo potest ignorare, qui illorum temporum historiam vel leviter cognovit. Quod autem ea imperii commutatione Romani post sub Tiberio, Caligula, Nerone, Domitiano aliisque valde sunt afflicti, propterea non potest Augustus reprehendi, cum id non rei, sed hominum vitio acciderit, neque Augusti consilio sapientia, sed Romanis felicitas defuerit. Quod si semper Augusto similes Principes Romani habuissent, non dubito, quin sibi optime ab Augusto prospectum credituri fuerint. Sed non est humani arbitrii aut consilii bonos Principes habere. Coeleste illud donum est, quod iis populis Deus impertitur, quibus bene cupit.

Quod si ea felicitas ulli alii Populo, Saxonibus sane inprimis, divino quodam munere, contigit. Nam

ex quo Patriae nostrae Principatus ad domum Vestram pervenit, Principes semper habuit tales, ut qui in ipsorum terris habitarent, ii prae ceteris omnibus Germaniae populis beati praedicarentur: nunc autem sub CLEMENTISSIMI PATRIS VESTRI indulgentissima tutela ita acquiescit, ut, quantum de meo sensu atque animo judico, si nobis optio daretur, utrum libertatem mallemus, an hunc DOMUS VESTRAE Principatum, haud dubie omnes hunc illi longissime praeferrent. Quo magis vota sunt facienda, ut nobis Patriaeque nostrae perpetua sit haec felicitas, hoc est, ut Deus AUGUSTUM PATREM VESTRUM, AUGUSTAMQUE MATREM, VOSQUE, CELSISSIMI PRINCIPES, omnemque DOMUM VESTRAM incolumitate, prosperitate et omni genere felicitatis beet, denique CELSISSIMAM REGIAMQUE DOMUM VESTRAM ad finem usque rerum humanarum florentissimam conservare velit.

Sumtibus Gerh. Fleischeri Jun., bibliopolae Lipsiensis, hi quoque libri prodierunt.

Apollonii Rhodii Argonautica. Ex recens. et cum notis R. F. P. Brunckii. Edit. nova auct. et correctior. Accedunt scholia graec. ex Cod. biblioth. Parisinae nunc primum evulgata. Vol. I. 8. maj. 1810. Charta impress. 2 Thlr.
Charta script. 2 Thlr. 16 gr.

Aristophanis Comoedia Plutus. Adiecta sunt scholia vetusta Recognovit ad veteres membranas, variis lect. ac notis instruxit, et Scholiastas locupletavit Tiber. Hemsterhuis. Edit. nova emend. et append. notarum aucta. 8. maj. 1811.
Charta impress. 3 Thlr. 8 gr.
Charta script. 4 Thlr.

Aristotelis ars poetica, cum commentariis Godof. Hermanni, 8. maj. 1802. Charta impress. 1 Thlr. 12 gr.
Charta script. 1 Thlr. 20 gr.

Ciceronis, M. T., de Officiis libri tres. Recensuit et Scholiis Iacobi Facciolati suisque animadversionibus instruxit Aug. G. Gernhard. 8. maj. 1811. Charta impress. 2 Thlr. 4 gr.
Charta script. 2 Thlr. 12 gr.

Euripidis Tragoediae, edid. R. Porson. Tomus I. Editio in Germania altera correctior et auctior indicibusque locupletiss. instructa. 8. maj. 1807. Charta impress. 2 Thlr. 12 gr.
Charta script. 3 Thlr.

— Hercules Furens. Recensuit Godofredus Hermannus. 8. 1810. 12 gr.

— Supplices. Recensuit Godofr. Hermannus. 8. 1812. 12 gr.

— Troades. Ad optim. librorum fidem recens. et brev. notis instruxit Aug. Seidler. 8. 1812. 16 gr.

Gronovii, I. Fr., in P. Papinii Statii Silvarum libr. V. Diatribe. Nova editio ab ipso auctore curata. Accedunt Emerici Crucei Antidiatribe, Gronovii Elenchus Antidiatribes et Crucei Muscarium. Edidit et annotationes adjecit Ferd. Handius. 2 Vol. 8. maj. 1812. 5 Thlr.

Hermanni, G., Observationes criticae in quosdam locos Aeschyli et Euripidis. 8. maj. 1789. 18 gr.

— de emendanda ratione graece Grammaticae Libri I et II. Vol. I. Accedunt Herodiani aliorumque libelli nunc primum editi. 8. maj. 1801. Charta impress. 2 Thlr.
Charta script. 2 Thlr. 8 gr.

Plauti, M. Acci, Trinummus, recensuit et praefatus est Godofredus Hermannus. 8. maj. 1800. 12 gr.

Plutarchi Agesilaus et Xenophontis encomium Agesilai. In scholarum usum edidit, notis et indice instruxit D. C. G. Baumgarten-Crusius. 8. maj. 1812. 16 gr.

Seidler, Aug., de Versibus dochmiacis Tragicorum graecorum. Vol. I. II. 8. maj. 1811. 12. 2 Thlr. 8 gr.

Sophoclis Tragoediae septem ac deperditarum fragmenta, emendavit, varietatem lectionis, Scholia notasque tum aliorum tum suas adiecit C. G. A. Erfurdt. Accedit Lexicon Sophocleum et Index verborum locupletissimus. Vol. I. Trachiniae. Vol. II. Electra. Vol. III. Philoctetes. Vol. IV. Antigona. Vol. V. Oedipus Rex. Vol. VI. Aiax. 8. maj. 1802 — 1811.
Charta impress. 14 Thlr. 16 gr.
Charta script. 17 Thlr. 16 gr.

— Antigona. Ad optimor. librorum fidem iterum recensuit et brevibus notis instruxit C. G. Erfurdt. 8. 1809. 16 gr.

— Oedipus Rex. Ad optimor. librorum fidem iterum recensuit et brevibus notis instruxit C. G. Erfurdt. 8. 1811. 20 gr.

Thiersch, Dr. Fr., griechische Grammatik des gemeinen und homerischen Dialekts. Für Schulen. 8. 1812. 16 gr.